IANI NICII ERYTHRÆI

ORATIONES VIGINTI DVÆ.





COLONIÆ VBIORVM,
Apud IODOCVM KALCOVIVM
& Socios, CIↃ IↃC XLIX.

Orationes hæ viginti duæ lucem aſpiciant, autoriſque eloquentiſſimi nomen adhuc magis celebrent. Coloniæ, XV Novembr. CIↃ IↃC XLVIII.

Henricus Francken Siersſtorpſſius,
S. Theol. D. librorum Cenſor.

STEPHANO VAIO

Episcopo Cyrenensi,



& Archihospitalis S. Spiritus in Saxia Præceptori vigilantissimo,

IANVS NICIVS ERYTHRÆVS

S. P. D.



A in me, Præsul optime, jam inde usque ab adolescentia, ad eloquentiam, à natura, jacta esse visa sunt semina, ut ab iis, à quibus erudiebar, summa data sit opera, ut ea ad frugem pervenirent. nam, quæcunque mihi ingenii declarandi augendique se se dabat occasio, eam ut arriperem, cogebant; &, si cuipiam ejus artis, cui studerem, laudandæ partes essent demandandæ, non alteri potius quam mihi committerent. ne multa, annos natus non amplius tredecim, ita de laudibus eloquentiæ dixi, ut, qui aderant, (aderant autem viri, omnium doctissimi eloquentissimique) indolem admirarentur, ingenium laudibus efferrent, & uberem illam verborum effervescentium, & paulò nimium redundantium, copiam, ab jugi quodam eloquentiæ fonte manare, omnibus audientibus, dicerent. sed, nondum ex ephebis excesseram, cum ab humanitatis studiis, parentum coactu, discessi, & ad graviores disciplinas me contuli. ac primum, in Peripateticorum spaciis triennium consumsi; tum ad Theologos abii; quorum divinitus haustæ sapientiæ non plus attigi, quam quantum parentum eorundem voluntas tulit; à qua non erat fas

 mihi

mihi recedere; cui parentes iidem Iurisprudentiam, tanquam puellam quampiam, desponderant; quia majores ab ea, quam ex ceteris artibus, percipi fructus ajebant, sive ad opes, sive ad honores, sive ad gloriam. itaque ab aliis studiis abstracto, vir doctus & familiæ nostræ amicissimus, prima Iurisprudentiæ rudimenta tradendo, eam mihi quasi sponsam commendavit, & in manum dedit. quod ubi apud quosdam, quorum erat magnum in Iurisconsultis nomen, quique me in filii loco diligebant, increbuit, magna eos affecit voluptate. gaudebant enim, meum illud discendi studium, quo tum eram incensus, ad jus civile transferri. quamobrem illud adveniens, exceperunt, amplexati exosculatique sunt, foverunt, acrius inflammarunt. videbant etiam, me non illuc, in omni genere honestarum artium rudem, ut non nulli faciunt, sed Latinis literis doctum, nec omnino Græcarum expertem, præterea multiplici rerum scientia instructum atque ornatum, accedere; ideoque sperabant fore, ut ex eorum ludo, tanquam ex officina quadam, quasi Myronis aliquod opus, vel Phidiæ signum, exirem. ac fortasse minime hæc eos frustrata spes esset, si longius vitam protrahere contigisset. verum illi celerius multo, quam mihi necesse erat, finem vivendi fecerunt. nam si diutius hujus usuram lucis usurpare potuissent, meliore loco res nostræ, quam nunc illæ sunt, essent. etenim, cum jam, magistris illis usus, totum jus civile penitus cognovissem; vel meam, ad illud interpretandum, operam contulissem, vel ad Remp. cui illud natum est, capessendam, animum adjecissem. sed, ducibus ac moderatoribus studiorum meorum è medio sublatis, sive dolore animi, quem illorum mors mihi attulerat, sive odio fori, à cujus strepitu, homo natura quietissimus, abhorrebam, ardor ille Iurisprudentiæ, quo flagraveram, primum imminutus, deinde exstinctus est totus. neque tamen, eos annos, quibus Iurisconsulto operam dedi, mihi penitus perperam abiisse, jure conqueri possum, quod

veterum

veterum responsa prudentum, qui sunt omnes præclarè locuti, legendo, quomodo, quæ ejus sunt artis propria, lepide, eleganter, Latineque dici possent, edidici; tum plura in veterum scriptis (quæ, quoniam à juris notitia aberam, tanquam ignotum hominem, præteribam,) cœperunt esse mihi perquam familiaria; ac capiebam voluptatem, Ciceronis Topica ad Trebatium, ejusdemque orationem pro Cæcina, in qua, de verbis interdicti Vnde vi, *omnis est quæstio, mihi magis esse ad intelligendum apertam, quam cuivis Grammaticorum, quibus nullus ad jus civile aditus patuit, & tamen suis eam commentariis interpretari sunt ausi. deinde, quid fuit lucri, quorundam, non magis juris scientia quam omni eruditione principum, virorum notitiam habuisse? quos antea, præter Alciatum ac Budæum, natos esse nesciebam; nimirum, Connani, Duareni, Cujacii, Donelli, aliorumque ejus notæ autorum; ex quorum abundanti doctrina, tanquam à fonte, non pauca, quæ meis scriptis aspergam, exhaurio. Omni igitur Iuris civilis cogitatione abjecta, cum, etiam tum adolescens, sederem domi otiosus, potius quam me voluptatibus constringendum darem; quid facerem honestius, quam ut revocarem animum ad hæc liberalissima & humanissima studia, quorum amœnitas pulcritudoque, jam inde ab ineunte ætate, meum ad se amorem attraxerat? Hac occasione, sumsi iterum in manus orationes, quas adolescens, vel potius puer, habueram: quas quum doctis quibusdam viris ostendissem, omnibus idem unum convenit, ut eas emitterem; fore enim iis, qui legissent, non ingratum, aspicere; quid natura in puero, nullo fere artis auxilio sublevata, potuisset efficere. Scis, quam facile sit adolescenti, laudis præsertim studioso, sinere se ab inanis gloriæ æstu abripi, &, quocunque ille traxerit, abstrahi. itaque nihil à me factum est prius, quam ut, impressæ, in hominum conspectum prodirent. quamquam, ob orationem de Episcopo, quæ longior*

est ceteris, prope fuerit, ut ejus mihi rei potestas à Superioribus non fieret; qui, non esse æquum, ajebant, pati, adolescentulum præcepta Episcopis dare, qui summum in Ecclesia locum teneant, eisdemque velle præscribere, quemadmodum in sui muneris functione se gerant. sed tandem justa illorum causa, ab nostro est odio & importunitate devicta. verum continuo mea, vel temeritatis vel audaciæ, pœnas dedi. nam, ejus potissimum culpa, qui has sibi partes sumserat, suamque in eo fidem interposuerat, ut liber, diligenter cognitus emendatusque, ex impressoris officina prodiret, adeo ille turpiter deformatus, adeo mendis refertus corruptusque, in conspectum mihi se dedit, ut non agnoscerem, eundem esse qui fuerat. quamobrem commotus, cum non possem ab eo, qui peccaverat, pœnas, ut meritus erat, exigere, in librum, qui nihil commeruerat, iram omnem evomui, eumque perpetuis tenebris vinculisque mandavi. Iam anni quadraginta intercesserant, ab hoc infortunio, quo illas mactaveram; cum cœptum est excogitari de aliis imprimendis, quas post eas, variis temporibus, vel habuissem vel scripsissem; sed, quia pauciores illæ erant, quam ut justum unum corpus possent efficere, petiit à me typographus, num alias haberem, quibus augeri illarum numerus posset. ac statim illarum mihi solitudinis ac sordium venit in mentem; atque abii, vincula miseris detraxi, fecique lucis aspiciendæ potestatem; tum, sordium illarum maculas elui, hoc est errata correxi; neque, in corrigendo, verbum quidem unum commutavi; ut prorsus appareret, qualis in me prima illa eloquentiæ vis atque conatus extitisset; atque ita emendatas, ceteris, quas, grandior natu, sive habuissem sive scripsissem, adjunxi. quæ, si fortasse quæratur cur non ita longo intervallo superiores inveniantur iis, quas primus ille adolescentiæ fervor effudit, causæ reperientur verissimæ duæ. primum, quod exercitatio illa studiumque fuerat remissum, quo à puero flagrabam. nam eloquentia, magis etiam

quam

quam cetera res alia, exercendo augetur. at quis nam mihi exercitationi huic locus pateret in aula, ubi ludus sunt procœtones, cathedra, sella, ibidem ad ornatum quietemque disposita; theses, non illa philosophica, Sit ne virtus finis, Regaturne providentia mundus; sed illa magis, An vir ille princeps, vel privatus, in gerenda repub. vel privatis rationibus administrandis, fecerit aliquid superbe, intemperanter, libidinose, avare; declamationes mea, aliorum fama detractiones & maledicentia? deinde, cum jam totum mutatum esset scribendi dicendique genus, ac longe aliud esset, atque illud, quod, pueris nobis, vigebat; si placere vellem, illo mihi modo dicendum erat, quod mirabantur adolescentes, sed non probabant senes. at ego, tum quia nollem, tum quia fortasse non possem si vellem, ea uti ratione dicendi scribendique, satius esse duxi, me continere, quam illud aggredi, quod facerem, vel invitus, quia non probarem, vel pessime, quia non auderem. quid? ego ne illud scribendi genus adamarem, fractum, concisum, membris minuticribus captum, crebro incidens, sententiolis vibrantibus, seu potius eclogariorum carbonibus pictum, rebus (si tamen res appellanda sunt illa) magis quam verbis, frequentatum, & ob id obscurum? itaque raro, idque coactus, in Academia Humoristarum, verba faciebam; ita tamen, ut meo, non eo more qui tum increbuerat, dicerem. sed animadvertebam, morem illum, audientium significatione nutuque, non improbari. tanta vis est veritatis. neque tamen idcirco recipiebam animum, quem abjeceram. duabus igitur hisce de causis factum est, ut antea ego decursi mea vita spatii prope metas attigerim, quam illud, quod in me natum erat, quantulumcumque illud erat, quodque non minimum excreverat, canesceret, & senectutem suam haberet. Ad orationes vero quod attinet, visum est doctis viris, in quorum manus illa pervenerant, typographo imprimendas dare. cumque, ut moris est, nomini cujuspiam dicata, essent emittenda,

tuum illis nomen appoſui; quod meminiſſem, eas olim tibi, cum legeres, dignas commendatione viſas fuiſſe. quid enim optare vehementius debeam, quam, ut Navianus Neſtor, laudari abs te pater? nam, quem vituperatorem metuam, ſi laudatorem te habeam? te, inquam, ſingulari ſapientia virum, ingenio eximio, Iuriſconſultiſſimo, poëta ſummo, judicio ſingulari. ſed, alius erit de te dicendi locus. interim munus, quod tibi offero, orationum mearum, ea animi alacritate complectere, qua mea omnia ſoles. quæ orationes non ſunt ita ambitioſæ, ut ſummis efferri laudibus expetant (ſatis enim per ſe ipſæ intelligunt, quantum abſint à ſummo;) ſed, ſi laude aliqua digna videbuntur, laudari volunt, ut affabre dolatum opus, non ut plane perfectum; ut viridis quædam ſeges ac læta, quæ annum illum in vilitate annonæ futurum oſtendit, non ut præpinguis, perrumpens horrea, meſſis. ac fortaſſe eos, quos pollicebatur, fructus, noſtra ex ſe dediſſet oratio, niſi ea, de qua diximus, calamitas interveniſſet; quæ ſpes omnes, etiam tum florentes, evertit. Vale, & , cum erit voluntas legendi, ſi forte in orationem incides, de Epiſcopo, (quæ, non temporum ordine, ſed dignitate materiæ, præficitur ceteris,) oculos per univerſæ eccleſiæ oras circumfer, ac vide, num multi ſint Epiſcopi, qui poſſint in eam formam, quam explicamus, includi. Romæ, Kal. Novembr. CIↃ IↃC XLVI.

IANI

IANI NICII ERYTHRÆI ORATIO I,



DE EPISCOPO.

Ad Sodales B. M. V. Assumptæ, in domo professa Societatis IESV.



T vestra, Sodales mei, autoritas, quam in me semper habuistis, imperat, & præsens hic dies hortatur, quo sacra illa cærimonia, solemni religione, & sancta Christianorum memoria, celebratur, qua Divus Basilius, Cæsariensis Episcopus, sacris Episcopalibus initiatus est, & Pontificiis insignibus decoratus; ut in partem aliquam curæ Episcopalis campi, tam late patentis, excurram. Quem ego sane laborem, utpote imparem ingenio, neque ætati habilem meæ, facile declinassem, si alio loco dicendum mihi fuisset, vel, aliorum jussu, hoc meis primum humeris gravissimum onus imponeretur. ttenim vererer, ne suspicionem temeritatis evitare non possem, vel imprudentiæ crimen effugere, si ego, nullius prope autoritatis homunculus, ea de re verbum facere ausus essem, de qua vix illa veteris eloquentiæ & sanctitatis lumina, Basilii, Chrysostomi, Ambrosii, satis commode dixisse, & pro rei dignitate satis graviter egisse, existimantur. Verum, quum pro nostro vetere instituto, quo ad socios impellendos cohortatione sua in studium virtutis, & ad celebranda egregia sanctorum virorum facta, indocti, infantes sæpenumero, vocantur, multa mihi vobis exponenda sint, quæ sanctorum hominum monumentis includuntur, & quasi dispersa incertis sedibus evagantur; vestra pietate & benevolentia, eam tacite securitatem irrepsisse sentio,

quæ animum addere, timorem depellere, atque omnem animo suspicionem videatur evellere. Accedit illud quoque causæ, quod, si in hac re liberius forte quippiam dixero, quam mihi dicere per ætatem liceat, quum domesticis hisce parietibus, quibusdam quasi custodiis, nostra contineatur oratio, vel exire nunquam poterit, vel, si quando dimissa in vulgus emanaverit, non tam ex meo sensu depromta esse, quam ex vestro, qui id mihi imperastis, ore prodiisse, videri fortasse poterit; quod vobis certe molestum esse non debet, plurium rerum voluntatem, atque licentiam, quam vobis vestra sponte præcidistis, nunc jam oratione quoque vestra, immo potius lege, ac conditione, ereptam esse. Neque existimaverit quisquam, nostris sacrosanctos compungi aculeis Episcopos; immo omnes plane, qui nunc sunt, tanquam Dei munere hominibus datos, vehementer colimus, observamus, admiramur, & virtutibus pontificiis omnibus præditos esse credimus. Illi illi nostris jaculis expetuntur, nostra in illos tela vibrantur, qui, ne cogitantes quidem quam sit præceps & lubricus is, quem plerique expetunt, amplitudinis locus, tanto ad eum ardore animi & contentione feruntur; ut gravissimos suscipiant labores, subeant fortunarum & capitis pericula, ut tanquam mercedem rerum gestarum consequantur. Istorum tantam remorari celeritatem, objecta salutari ratione, tentabimus: hos, tanquam ferocis & exultantis equi effrenatos impetus, proposita periculi magnitudine, reprimere ac retardare, Deo bene juvante, conabimur. Sed ad rem tandem propius accedamus. Intuenti mihi sæpenumero, fratres mei, in summorum hominum res gestas, qui per singula tempora dati sunt Ecclesiæ divinitus, quærendum esse visum est, quid esset, cur recusatos à Basilio, Nazianzeno, Gregorio, & cæteris hujus notæ viris, summa vi summaque constantia Episcopatus, aliis sæpe tempestatibus, tantopere plerique concupiscerent. sed, diu cogitanti, nihil occurrit, nisi existimare, animos, honoris & divitiarum cupidos, quæstus tantummodo rationem habere, magnitudinem rei, ad quam tanto impetu feruntur, non expendere. Quas enim, nisi has potissimum, si recte ratiocinari volueritis, tam præcipitis consilii causas esse reperietis?

Quum

Quum enim videatis, viros omnium sanctissimos & prudentissimos, non modo, omnium prope consensu & voluntate Pastoralis officii sibi onus impositum repudiasse, verum etiam, arrepta repente fuga, sese è conspectu illorum proripuisse, quorum judicio studioque, tam insigni dignitatis gradu decorabantur; at hos contrà, ignavos plerumque homines, cum iis certe, quos diximus, nullo modo comparandos, cœca ac temeraria honoris cupidine concitatos, minimeque reputantes, onera se imparia viribus suscipere, locupletes Ecclesias & pinguia sacerdotia vehementer expetere, summa ope conquirere, cuncta miscere ut assequantur, assecutos, in eorum bona atque fortunas irruere: nonne vobis maximo argumento esse debet, istos, officii dumtaxat exteriorem honorem æstimantes, illudque non re ipsa sed utilitate metientes, ad id certatim sibi studio omni adnitendum putare, ubi aut spes uberior existeret, aut præmia, vel ad opes vel ad dignitatem, ampliora proponerentur? Denique, nonne demens inconsiderataque istorum temeritas ita vobis clara & illustris ostenditur, ut aciem vestræ mentis effugere nullo modo possit, si recordemini, viros omni virtutis laude cumulatissimos, qui sacræ Christi navis gubernandæ summa scientia præditi essent, ne, vehementissimis laborum & molestiarum quasi flatibus, in illa pericula ac tempestates impellerentur, jactis anchoris constantiæ & fortitudinis, in tuto tranquilloque animi demissionis & modestiæ portu consedisse, & ejus regendæ potestatem aliis laudemque concessisse; contra, istos intueamini inscientissimos gubernatores, nulla commendatione virtutum, nescio qua honoris specie captos & utilitatis, Ecclesiarum gubernacula, vi, gratia, precibus, arripere, quas postea vel misere evertant vel ad saxa scopulosque appellant? Ac ne illud quidem verum est, Episcopatum, otio, pacis diuturnitate in Republica Christiana, confirmato, non esse amplius illis fluctibus, quibus pæne antea mergebatur, objectum, sed periculis omnibus liberum, rem quandam esse in medio positam, & industriæ singulorum accommodatam. Etenim, quantumvis veterum sanctorum virorum, quos jam antea nominavi, sapientia atque virtute, ita fractæ ac debilitatæ

sint

sint impiorum vires atque potentia, ut jam nullum ab illis tam acerbum diuturnumque bellum expectari posse videatur; tamen, non solum reliqui fere omnes manent in præsentia labores atque molestiæ, quæ clarissimos illos homines deterrebant, sed alia etiam addita sunt illis multo graviora impedimenta, quæ currentem retardare, & à proposito susceptoque consilio revocare, vel maxime possint. Nam, quo plus Ecclesia periculis & metu magna ex parte levata est, eo amplioribus divitiis atque opibus est aucta: quæ quum sint pronis ingeniis maxima ad ignaviam atque ad luxuriam incitamenta, verendum est maxime, ne fortissimum quemque & severissimum, à labore & continentia, ad otium voluptatemque traducant. Ergo deinde corrupti hominum mores, his præsertim temporibus, prolapsi corruerunt, ut, qui refrenandos coërcendosque susceperit, sibi omnium difficillimam provinciam procurasse censeatur. Quæ si cui parva & contemnenda videantur, Deoque bene juvante, veterem in novum statum continentiam ipse proferre se posse confidat, & nefarios sceleratorum hominum impetus cohibere, quis regimen animarum, quod nunquam ab Episcopali vigilia sejungitur, quodque primum in eo munere spectatur, arduum omniumque difficillimum negotium non esse arbitretur? Aspice multorum patrem natorum, in quantas volvatur assidue solicitudines, ita ut, distracto in varias curas atque multiplices animo, quieta nunquam mente consistat, & accelerantibus senectutis incommoda molestiis, adhuc juvenis, consenescat: & quisquam poterit occupationes & curas Episcopales, quasi leves & nullius operis, contemnere? quibus si totas, nec ideo suffecturas ponderi, vires obtulerit, adeo earum magnitudine premi se sentiet, ut onus Ætna gravius sustinere se dixerit. Etenim Episcopo tot sunt liberi, quot subjecti; quibus singulis debet, si probus atque perfectus est, cælestium epularum alimenta suppeditare, & virtutum ornamenta comparare; ita semper anxio vigilique intentus animo sit necesse est, ut, somnum morantibus solicitudinibus, nullam partem quietis capere queat. Quis unquam illam maximam atque incredibilem vigilantiam, qua excubare debet animo Episcopus, muneri,
quod-

quod affectat, præstare se posse polliceatur? Nam, si in Principe vitium vel maximum est, qui, quum unus re omnia gubernet, tot undique curis afficitur, non ad multam noctem vigilare; quod dormienti Agamemnoni sapienter in somniis Homericus ille Nestor objecit: quanto id magis turpe erit in Episcopo, qui non quidquam aliud est, si interpretari velis, nisi Christi gregis observator, speculator, explorator, & custos? cui non jam propter se ipsum, sed propter illos quos conservandos susceperit, suspicione metuque suspenso, in perpetua quadam quasi precationum assiduarum vigilia manendum est; cui insolita illa atque inusitata amantis Iacob vigilantia solicitudoque, gregi Laban exhibita, Christi ovibus protegendis æmulanda est. Ponite vobis ante oculos, summam ac pæne incredibilem illius in frigore & fame & siti ac vigiliis perferendis patientiam, in laboribus sustinendis tolerantiam, ac perpetuam in proposito susceptoque consilio fortitudinem atque constantiam. videor mihi illum videre, dies noctesque concursantem, semper excubantem animo simul & corpore, nec partem ullam capientem quietis, & modo canes in venientes feras immittere, captas modo oves ex luporum faucibus eripere, modo eas ad pascua ducere, aut pastas inde reducere, nulla detrectare pericula, nullo labore terreri. Quæ si tibi, desidi & negligenti, inaudita fortasse & tuas longe vires superantia videbuntur; jam, quoniam te esse hominibus inferiorem agnoscis, diligentissimas vigilum canum excubias intuere, obstupesce, admirare: neque, quum te similem quadrupedibus vitio tuo reddideris, pigeat ab iisdem discere, quod tibi prodesse aliqua ratione possit. inspice, quantâ sint, in custodiendo grege, fide, vigilantia, ne præsentia sua illum desertum esse patiantur, cunctisque sopore torpentibus acres noctu vigilias agitent, nec prætereuntium modo strepitu audito, sed quovis etiam spirantis auræ sibilo percepto, latrent, venientes fures luposque significent, insectentur, comprehendant. Multo magis providi diligentesque animarum pastores adesse semper, vigilare, nascentes hominum cupiditates infringere, & ab ovili circumquaque frementes lupos arcere, debent; neque solum, quum peccaverint homines,

homines, vel fures advenerint, clamare, sed, quum verisimile erit eos peccasse, vel fures adventasse, etiam in suspicione, latrare. at si à tuis ovibus punctum quidem temporis oculos dejeceris, certo scias, à dæmonum eas, quasi rugientium leonum, turmis invadendas. Verum, quum à Dæmone hæc tam pestifera tibi tui gregis deserendi cogitatio injecta est, nonne subiit illico admirabilis illa canum solicitudo atque solertia? nonne tunc pudet te, hominem, rationis participem, quemque ad consilium omnia, non ad appetitum, referre par esset, in tuo munere, in tua vigilia, in conservandis iis, quos Deus, velut in arce tutissima, in tuis posuit manibus, quorum spiritus ex te pendet, à bestiis, à canibus, rationis expertibus, longo intervallo superari? Iam vero, quis illam summam atque exquisitam rerum ac disciplinarum omnium notitiam, quæ una vel maxime, mole ruentem sua sustentat Episcopum, velut inane quiddam ac leve irridere valeat, ac pro nihilo putare? Si nemo ad Persarum imperii magnitudinem aspirare posse putabatur, qui non Magorum disciplinam ante percepisset, nos illos hoc fastigio dignos arbitrabimur, qui numquam fere sint in bonarum artium studiis doctrinisque versati? in quibus, & ad exstirpandas falsas de rebus divinis opiniones, summa sacrarum literarum scientia, singularis occultissimorum mysteriorum & à communi sensu abhorrentium notitia, requiritur, & ad populos regendos perfecta juris legumque peritia, & plurima rerum humanarum cognitio atque experientia, necessaria est. Tolle è mundo hunc, qui omnia collustrat, solem; nonne, luce detracta, pulcerrimum etiam hunc rerum aspectum oculis mortalium eripi subito dixeris? Sic etiam in Episcopo multarum ornamenta virtutum jaceant in tenebris necesse est, nisi litterarum lumen accendat. Quis demum summam illam sapientiam, ac prope divinam. qua non plurimorum privatorum modo sed universæ Christianæ Reipublicæ salutem maxime contineri statuo, & de qua nunc breviter, omissis ceteris, dicturi sumus, non sine gravissima temeritatis culpa sibi vendicare audeat, aut potius arrogare? Quum enim Episcoporum labor & industria eo præsertim referenda sit, ut, quos regendos susceperint, eosdem

eosdem ad Dei cultum, ad veram Christi imitationem, ad modestiam, mansuetudinem, ceterasque virtutes, erudiant; profecto nefas erit, quemquam, veluti tantæ moli imparem, tantum onus non modo subire, sed impuras etiam illi manus admovere, qui non in unoquoque virtutis genere præstantissimus revera sit & habeatur. Nam, quum actiones unusquisque suas ad illorum instituat & moderetur exemplum, quos imitandos sibi proposuerit, quis repente non videat eum in id injustitiæ genus esse illapsurum, in quod eos irrepsisse norit quos imitatur? Sunt mores hominum animique illi quidem per se asperi, & flexuosis tortuosisque quasi angulis inæquales; Præsulum tamen justitia, temperantia, ceterisque virtutibus adæquandi. at, si, perversos improbosque morum & disciplinæ magistros adepti, ad illorum sese rationem accommodaverint; non suis modo exæquatis asperitatibus, & ad boni æquique planitiem redactis, quam par est æquabilitatem non consequentur, sed illorum insuper iniquitatibus inflexionibusque etiam atque etiam detorquebuntur. Perspicuum est enim tales fore semper lineas, qualis erit regula ad cujus normam diriguntur. Quis enim non putet, impurissimum semper eum & scelestissimum evasurum, ad cujus improbam perversamque naturam accesserit etiam disciplina? quis illum existimet vitia radicitus evulsurum, qui eadem exemplis illo ipso tempore aluerit, confirmaverit, auxerit? Vt præclare dixerit Plato, non ante humanum genus peccandi finem facturum, & eam, quæ ex conscientia recte factorum exoritur, beatitatem consecuturum, quam Principes, à quibus gubernantur, totos se ad Philosophiæ studium contulerint. Quum enim illam, quam sibi ipsi unusquisque votis omnibus exoptat, felicitatem, non in pecuniarum copia, non in voluptatum illecebris, non in splendore imperii & gloria, non in opum magnitudine atque potentia, consistere, sapientissimus quisque censuerit, quod hæc imbecilla & commutabilia, eisque, à quibus possidentur, luctui sæpe sint atque dedecori, sed eam vere sitam esse in imperando cupiditatibus, & recte honesteque vivendo; nequaquam, singulari sapientia vir, dubitandum esse duxit, si princeps animum ad Philosophiam adjecisset, quin

posset

posset illico, languentem labentemque populum, vel ad idem sapientiæ studium excitare, vel à consuetudine peccandi deducere. Quid? nonne in xij tabulis scripta est lex illa prope divinitus, qua senatorum & magistratuum ordo jubetur vitio carere, & ceteris specimen esse virtutis? Intellexerunt nimirum viri omnium prudentissimi, talem semper statum civitatis futurum, quales principes essent civitatis. Quid est deinde, cur non existimemus, rem tantam, ac prope divinam, egregium quendam hominem atque admirandum efflagitare, qui hoc unum opus, ut ita dicam, noctes & dies urgeat, ut, vitiis radicitus exstirpatis, singulorum animi, in omni virtutis genere, omni ex parte perfecti exornatique reddantur; ut sapienter, æque ac cetera, Salvator hominum Christus salem dixerit terræ discipulos suos, quum sui eos officii admoneret: ut nimirum ii, quos omnium sibi regnorum & provinciarum Episcopos elegerat, intelligerent, quam arduam difficilemque provinciam sustinerent. Nam, ut cibi sale condiuntur, ne putrescant, vel ut sint ad gustum perjucundi, ita delicati mores hominum, Episcoporum doctrina, sapientia, probitate quodammodo saliuntur, ne vitiorum coruptelis depraventur, iisdemque, maximarum virtutum quasi conditione perfectis, cæleste illud beatorum animorum convivium exornetur. Atque ut convivii dominus, quum cibos non bene conditos rejecit à mensa, cœnarum artifici, eive ad quem id ministerium videatur pertinere, succenset; ita Deus, communicata peccantis cum Episcopo noxa, tanquam in autorem delicti, implacabili contra illum exardescet iracundia, quoties sua desidia atque inertia, è sibi subjectis aliquem, sceleribus atque flagitiis coopertum, sempiterni supplicii pœna multari contigerit. Sed inter plurima eaque gravissima detrimenta, rebus publicis per pravos antistites importata, præcipue hæc à Gregorio enumerantur. ait enim primum; quod si, repetitis memoria, non solum inde usque ab Ecclesiæ Christianæ primordiis sed etiam à primis mundi nascentis incunabulis, plagis omnibus gravissimis, à Deo regnis & civitatibus inflictis, divinæ animadversionis origo atque principium investigetur, eandem semper ab illis, tanquam à suis fontibus emanantia flumina,

na, descendisse, reperietur. Quum itaque justus ille judex Deus, graves & acerbas à nobis scelerum pœnas repetens, eluvione, pestilentia, vastitate, bello, ac seditionibus, humanum genus afflixerit; præcipuam publicæ populorum calamitatis originem, Episcoporum ignaviæ ac negligentiæ referendam plerumque esse, ex Gregorii sententia, quis dubitet? quibus cum eæ demandatæ sint partes, ut piis nos Deo precibus & sacrificiis conciliatos, ex imminentibus suppliciis eripiant; si à suo munere eo tempore destiterint, quis non videat, fore ut illico, Præsulum patrocinio destituti, scelerum pœnas Deo repetenti justas debitasque persolvamus? Quoties Deus populum Israëlis, gravissimis calamitatibus afflictum, nec tamen resipiscentem, funditus delere constituerat? quod certe perfecisset, nisi Moyses, summa ope atque ingenti studio, populi defensione suscepta, ad Deum supplex orasset, ut aut veniam populo daret aut sibi vitam eriperet, quasi furentis impetum cohibuisset, &, graviter in sententia permanentem, à suscepto consilio discedere quodammodo coegisset? Quem sane eximia illa ac prope divina Pauli caritas adversus eos, quos ad Christi fidem adjunxerat, maximam in admirationem non impellat, qua adeo amantis animus deflagravit, ut omnem doloris & acerbitatis sensum excutiente membris incendio, non modo ultima pro illis sese passurum affirmaverit, sed ut mortifera ab illis Anathematis pestis averteretur, Christi exemplo, quem ipse tantopere imitari studebat, eundem in se transferri, constanti voluntate concupierit? Sic se profecto res habet, ut, nisi fecundis Præsulum deprecationibus cohibeatur, divina fere sit, propter hominum immania facinora, implacabilis iracundia. Quare tibi, quem Deus ex hac communi nostra humilitate detractum in proximum sibi in terris locum evexit, ut ceteris propinquior, auxilium ab illo imploraturus, præsentia populi tui pericula sibi omnia deferas, & imminentium malorum felicem quæras eventum; tibi, inquam, exonerata peccatorum mole conscientia tua, & reconciliata tibi ipsi Numinis voluntate, pax est à Deo pro tuis ovibus exquirenda; jam non est amplius tuis tibi commodis consulendum, sed omnibus animi oblectatio-

nibus nuncius remittendus; risus, cantus, omnisque inanis abjicienda lætitia: sed, ut singulorum universorumque peccata deplores, luctus, mœror suscipiendus est, & perpetuis lacrimarum fontibus deductis, animabus, quæ tuæ sunt fidei creditæ, illuvie peccatorum æternisque sordibus squalidis, salutaris quasi lavatio præparanda est, precibus lacrimis ira cælestis propulsanda; his armis nostra causa tutanda, hac vi irruentia in nos mala inhibenda; nullus est tibi dies, nulla hora, tot curis urgentibus, non ad voluptatem modo, sed ne ad quietem quidem (prope dicam) concedenda. Nec mirum: magna res agitur; tua enim ac nostra salus in te uno sita est, tecum una periclitatur; si ruas ipse ad interitum, eos etiam, qui imperium nutumque sequuntur tuum, trahis in casum. quisquis nostrum perit, tuo maximo damno perit: tu pariter unus communis culpæ reus substitueris; prope uni tibi tanta jactura tribuitur.. Vide igitur, si cessaveris, si à precibus, si à lacrimis, si à sacrificiis jejuniisque destiteris, quid misero tibi, quid nobis omnibus, futurum sit. Age vero, alterum etiam damnum, quod pernicioso Episcoporum exemplo Christiana Respublica contrahit, cognoscamus; quod sane non est superiore aut minus grave aut minus acerbum. Vetus Diabolo mos est, quemadmodum spiritales viri, qui cum illo sæpius conflixere, testantur, ut fere non se nobis palam inimicum esse profiteatur, neque provocatos ad pugnam aperto æquoque loco cominus aggrediatur, sed ex occulto & de insidiis per occasionem adortos, acerrime infestis tentationum telis invadat. Quum enim se nobis, auxiliis de cælo comparatis, robustioribus longe viribus imparem esse sentiat, minime veretur, quin, si infirmissimo etiam cuique occurrerit, ea vi repellatur, ut protinus cedere pedemque referre cogatur: itaque in genus humanum hac sæpe via grassatus est, ut mortalium plerosque funesta clade depresserit. Verum, ex multis ad nos decipiendum idoneis opportunitatibus, nullam avidius arripit, quam eam, cum Episcopos, ad otium voluptatemque conversos, in aliquod vitium delapsos animadvertit: imo, nulla Dæmonum ope ac ministerio persæpe contingit, ut, quæ illi vitia conceperint, eadem per se ipsa in om-

in omnes infundant. nam, quemadmodum exceptum ore venenum se statim in cor recipit, & venis inde contractum, in omnes sese corporis partes illico diffundit; ita, ubi scelus est imperantis animo conceptum, tanquam diluta venenis potio, in vulgus, velut in corpus, illabitur, serpensque per omnium propemodum pervadit animos, & probos illorum mores sanctissimosque corrumpit. Quid enim tam deforme reperiri potest, quam illos, quorum exemplo atque virtute, ex iis quibus obstringimur vitiorum laqueis, exolvi nos oporteret, iisdem turpiter ipsos obligari? Quid tam fœdum existere, quam illos ipsos, quorum integritate vitæ & innocentia, effrenatæ cupiditates hominum contineri deberent, in aliqua libidine se totos effundere? Quid constantiæ tam contrarium inveniri, quam, institutionibus atque præceptis, se virtutis amicum & vitiorum hostem profiteri, moribus autem cum istis conjunctissime vivere, & vero cum illa acerrimum crudelissimumque bellum suscepisse? Quid magis illa oratione ridiculum excogitari, cujus mira sit cum dicentis vita incredibilisque dissensio? Qua fronte, quo vultu, aliorum frangere libidines audebunt, qui cupiditatibus iisdem teneantur? Quo animo, qua mente, de contemnenda gloria, & de rerum humanarum despicientia, verba facturi sunt, quorum animos insatiabilis & infinita illa honorum & divitiarum cupiditas excœcavit? Quid, si permulta sunt crimina, quorum tanta cum illo, quem persequeris, societate copuleris, ut reo non minus perditus ac nocens videaris? quid facies? idne alteri objicies, quod multo in te gravius retorqueri atque conjici possit? idne alteri crimini dabis, in quo te turpiter versari illo eodem tempore arguaris? audebis ita alterius demonstrare peccata, ut tua quo minus indices recusare possis? Tune (dicat fortasse quispiam, etiamsi honestati non convenienter, satis tamen ad rei veritatem apposite,) tune me, inquam, tanta vocis contentione, & verborum gravitate majori, ad virtutis amorem inflammare, & ad temperantiæ studium excitare conaris, quum omnis apud te prorsus temperantia jaceat, omnisque propemodum virtus extincta sit? sperasne, aliquid momenti orationem tuam ad impellendas, quo velis, voluntates,

aut unde velis deducendas, habituram, quum tua impurissima vita, inquinatissimique mores, quæcumque doceas, evertant? putasne, speciosissimas illas tuas rationes, quibus persuadere mihi conaris, ingenti alacritate, ardentissimo studio, infinito assiduoque labore virtutem esse amplectendam, apud me plurimum valituras, quas à te non verbis sed re ipsa, non contrariis sententiis sed factis, non modo contemni sed etiam infringi & labefactari conspiciam? Talem ipsum te antea præsta, qualem me esse vel maxime cupis. Vis, me ad tuæ admonitionis præscriptum mores meos accommodare? tuos ante ad tuorum normam præceptorum informa. Quascumq; tu mihi leges imposueris, tute easdem subire ne recuses. Vt enim currentis equi impetum reprimere non facile poteris, si eundem summa corporis & vocis contentione, laxatis habenis admotisque calcaribus, ad cursum concitaveris: ita neque, ferocitate exultantes, longiusque evagantes animos intra recti terminos continueris, quos exemplis, quibusvis stimulis acutioribus, incitatos ad peccandum incenderis. Si quid avare, libidinose, vel crudeliter factum à viro religioso intelligeres, nonne subito armari jura gladio imperares? nonne parum, in pœnam improbitati illius & audaciæ, putares esse omnes omnium suppliciorum acerbitates, vel quidquid tormentorum summa tyranni alicujus excogitavit immanitas? Si igitur tam severe in illo scelus aliquod vindicandum esse censeres, cui non est aliud quippiam in vita propositum, quam eniti atque contendere, quam maxime possit, ut summam perfecti viri laudem consequatur; credis tibi homines temperaturos? putasne, tibi defensionem ullam patrocinaturam, quo minus communi judicio condemneris, si non modo, in avaritia atque libidine, indomitas cupiditates atque effrenatas habueris, verum etiam, si in aliquo ejusmodi vitiorum genere vel minimum à religione officii declinaris? quum non tibi jam, communi voluntate virtutis & officii, recte sit honesteque vivendum, sed ea magis ratione, quod, propter singularem opinionem sanctitatis & innocentiæ, tamquam arcem perfectionis quandam, tot virtutum præsidio tantoque comitatu, tenere te vulgus existimat, quorum inde non modo viribus atque poten-

potentia, verum etiam conspectu signorum & armorum, effuse invehens sese vitiorum agmen propulsetur. Atque adeo verum est, animarum pastores divina pæne virtute & omnibus numeris absoluta egere sapientia, ut, quæ vitia in privatis hominibus, quasi in obscuro delitescentibus, tolerari soleant, & probabili plerumque excusatione defendi, eadem, quum insunt in Episcopo, intolerabilia, & omni prorsus indigna defensione judicentur. Quis est enim tam iniquus adversus nos judex, qui, si quid iracundia nos privati deliquerimus, addo etiam, si ea nimium elati longe modum excesserimus, propter depravatæ naturæ conditionem non id nobis condonandum putet? At nullus ita indulgenti erit animo, qui Episcopo, effervescentis iræ impetum non cohibenti, ignoscendum existimet? Scilicet, iracundiæ vitium ejus aggravante fortuna, & in superbiam crudelitatemque vertente, quum, modum hominis excedens, omni prorsus fere etiam supra humanæ naturæ vires debeat animi perturbatione carere. Fabulati sunt Poëtæ, tanta proceritate è terra montem excrescere, ut propter immensam pene altitudinem, qua cælo finitimus videtur, Olympum vocaverint; in cujus cacumine tametsi latera nubibus, ventis, imbribus, ceterisque tempestatibus assidue pulsantur, tanta semper est quies, ut, quas in pulvere vel in cinere notas insculpseris, easdem longo intervallo, eodem revertens, integras illibatasque reperias. Eadem plane ratione tantam debet Episcopus, qui apex est hominum, omnibus in rebus tranquillitatem constantiamque servare, ut, cum illa pars animi, quæ rationis est expers, digladiantium inter se cupiditatum conflictu verberetur, nunquam illa, in qua quum ratio insit, est altera excelsior atque sublimior, perturbationum vi motuque perculsa frangatur, & optimæ ac salutares in ea leges inscriptæ, gratia, metu, cupiditate, aliisque animi motibus deleantur. Quid enim aut turpius fieri aut dici potest, quam illos, qui hanc personam susceperint, ut ira laborantibus succurrant, ægris cupiditatum morbo medeantur, gravibus vitiorum oneribus profligatos extollant, quive quasi montium, nubes excedentium, cacumina, aut editæ in mari rupes, vim ventorum tempestatumque, infra se furentium, vel eo-



rum infima verberantes undas aspiciant, eosdem inquam cupiditatum æstus, sicut cæteros, sentire, totosque perturbationum fluctibus operiri, denique in ira, cupiditate, ita labi, ut aliis miserandi, aliis irridendi, aliis etiam omni supplicio digni esse videantur? At incidunt sæpe tempora, quum objurgationes suscipiendæ sunt, & improbi ac facinorosi, nisi dicto audientes sint, Ecclesiasticis etiam censuris & pœnis persequendi. sed omnibus animi motibus ita vacandum est, ne aut ira existat aut odium, aut acerbitas aliqua in castigando objurgandoque appareat; atque adeo in universum, non tam præceps ad severitatem, quam propensus ad misericordiam esse debet; à qua non est sine gravi causa discedendum. Quapropter sapienter facturos eos existimo, qui, in hoc genere castigandi, medicorum consuetudinem sibi imitandam duxerint, qui, quoties alia spes reliqua est, nunquam ad urendum vel secandum accedunt. Quid enim tam periculosum est, quid saluti magis contrarium, quam, quum relictus est lenitati locus, objurgariones ceteraque acriora remedia ægrotis animis adhibere? Nam ita difficile est viro, prudentia quamtumvis prædito, ubi objurgationis acerbitate velut aculeis quibusdam fodicatur, ira non efferri, vel, quum contumeliarum quasi facibus aduritur, non exterreri, ut fieri vix potest, læsum quempiam tacere, quum doleat. At eo, inquies, nos necessitas adduxit, ut omnino expediat, objurgationibus uti. Veruntamen, quoniam multa ad objurgantis similitudinem à medicorum arte sumuntur, ad illorum mediocritatem temperantiamque referenda esse omnia arbitrarer. nam, quemadmodum illi, in iis medicatis potionibus, quas pharmaca vocant, non amaros tantummodo liquores infundunt, sed sapores etiam dulcissimos instillant, quibus haustis id, quod est etiam amarum, quodque est per se ipsum reformidandum, absorbeatur: sic castigationis asperitas ita est clementiæ lenitate temperanda, ut ejus lenocinio libenter etiam illud ipsum, quod acerbitatis habet objurgatio, suscipiatur. Quod in cælesti illo animarum medico optime licet contemplari: qui, cum ægræ illius Samaritanæ mulieris sanandæ partes suscepisset, non est illico, quum posset, in impudicos ejus mores invectus; sed, suavitate sermo-

sermonis, quasi castigationis amaritudinem permulcens, eo illam adduxit, ut palam ultro errorem suum ipsam fateri coegerit. At videte, quanto hæc artificio conflata sit & constet oratio. *Bene dixisti, quia non habeo virum; quinque enim viros habuisti; & quem nunc habes, non est tuus vir.* Scilicet, quam prius, tamquam veritatis amantem, laudaverat, eandem, ut parum honeste pudicitiam habentem, reprehendit. Sed ut eo, unde digressi sumus, aliquando revertamur; quid est ad humanam societatem tuendam accommodatius, quid aptius ad conciliandos inter se hominum animos, quid ad relaxandos utilius, quam quum amicis crebra convivia? maxime si nec profusa nec immoderata sint. at hæc sunt, autore Gregorio, Episcopis interdicta. Quod si, quæcunque sacrarum litterarum monimentis consignantur, ita sunt divino spiritu quasi succo repleta, ut, sub narrationum corticibus, plurima spiritalia sensa, quasi medullæ, contineantur, ita frugifera & fructuosa, ut exinde non modo valeat antiquitatis memoria & rerum gestarum ordo teneri, sed plurima etiam possint ad Christianam vitam nobis necessaria documenta depromi; profecto, quid aliud Spiritum sanctum voluisse putamus, quum nequissimum humani generis hostem filios Iob, viri sanctissimi, in fratris domo natu maximi, nec splendida nec lautissima convivia celebrantes, ædium ruina oppressos, necavisse prodiderit? nisi, nos cautos providosque Dæmonis astutiæ & calliditatis efficere, qui nullam sibi æque idoneam facultatem ad hominum subditorum animos, perturbationum pondere, confringendos necandosque oblatam existimat, atque illam, quum præfectos illorum, luxui se & inertiæ dedidisse animadvertit. At enim, quid arctam tantaque religione adstrictam Episcopi vitam amplius contrahis, in angustumque deducis, ut illi, tanquam iniquus judex, hisce animi oblectationibus, jure omnibus concessis, interdictum esse velis? nonne Basilium, Nazianzenum, aliosque quam plurimos, amicorum inire convivia olim solitos fuisse, accepimus? nonne homines, etiamsi curarum plenissimi, etiamsi occupatissimi sint, tamen, si homines sunt, interdum animis relaxari oportet? Equidem, Episcopos gravissimos atque

sanctissimos, modicis interdum conviviis usos, non negaverim; sed eadem ita rara, ita moderata erant, ita cum honestatis ratione conjuncta, ut non tam essent libidinis, luxuriæ, intemperantiæ testimonium, quam modestiæ, parsimoniæ, frugalitatis exemplum. Quæ divinitus in illis dicebantur, quæ cogitabantur, quæ sapienter tractabantur? sacrorum mysteriorum arcana, obscuritate, quasi tenebris, obducta, illustrabantur; multa adversus hæreticos copiose & erudite disputabantur; ad illud cæleste convivium, ubi beati deliciis sempiternis perfruuntur, mente & cogitatione ipsa rapiebantur: ita ut non tam corpora escis reficerentur, quam animi spiritalibus colloquiis, & cælestium rerum cogitationibus, alerentur. Quod vero minimæ etiam noxæ, & levissima Episcopi delicta, optimum civitatis statum labefactare, omnemque sanctiorem morum disciplinam evertere queant; res est consideranti non obscura. nam, quum debeant, vitæ asperitate & sanctimonia, naturalem humanæ cupiditatis quasi impetum cohibere, eidemque, conanti prorumpere, undequaque eruptionis iter intercludere; si quem illi aditum, pristinæ illius innocentiæ & austeritatis remissione, quamvis angustum, ipsos aperire contigerit, futurum est, totus ut illico, summa vi summoque conatu, ruptis fere undique impedimentis omnibus, erumpat; ea plane ratione, ac si è molibus, in amnium ripis ad coercendos fluctus extructis, exiguus licet lapis detrahatur, quis non videt, illos quantumvis ingentes, saxorum lignorumve oppositu diu retentos ac retardatos, aperta ad effluendum via, acrius, quam si libero cursu mearent, evasuros, & circumjectos undequaque campos magno strepitu aquarum inundaturos? quæ deinde eadem magnis validisque aggeribus contineri, aut aliorsum averti vix poterunt. Iam vero, quid est corruptis Præsulum moribus, ad irritandas illiciendasque immodicas voluptates, accommodatius? Quid ita? quod cum vita illorum in conspectu populi ita posita sit, ut, tanquam excelso atque illustri sita loco, oculos omnium nihilo magis effugiat, quam impositum candelabro lumen, vel urbs in summo montis cacumine collocata, idque sibi imperita hominum multitudo, quasi suo jure, vindicet, in quod,
tanquam

tanquam in possessionem suam, eos irruisse, qui imperant, suspicantur, & natura sic se habeat, ut vitiis facilius, quam virtutibus, mortalis animus imbuatur. ex his efficitur, ut Pontificum cupiditatibus, quasi morbo, tota civitas inficiatur. Sed, sit ita sane ut narras; appetitum, inquies, libidinis meum, & inquinatam vitiorum sordibus vitam, mortalium aspectui subductam, simulationum latebris atque recessibus abscondere & occultare quid me prohibebit? Tua te scelera prohibebunt, tui te corrupti mores indicabunt, tua ipsa flagitia, suis ex latibulis in apertum prodeuntia, se non modo in animis aliquorum, sed etiam in oculis conspectuque omnium exponent. Putasne, facile tibi futurum, in potestatibus temperare, quum in privata vita luxuria omnique intemperantia diffluxeris? Quid est profecto, ad cupiditates hominum illustrandas palamque faciendas, instructius, quam publica munera? Nam, dum in privatæ vitæ quasi tenebris delitescit, facile est, sua cuique vitia supprimere: ubi vero in editissimo fastigio, ut luceat omnibus, collocatur, sic se ipsa prodant necesse est, ut ex eo simulationis specu, in quo se occuluerant, erumpentia, omnium oculis luce clarius conspiciantur. Immo vero, ut perdifficile est, perito quantumvis homini, cognoscere, utrum vitiosa sit amphora, antequam humore aliquo repleatur, quo per rimas egrediente, quidquid insit in ea vitii, significetur: ita etiam cupiditates eousque nostras facile dissimulaverimus, donec illa, quam magistratu vel honore nacti erimus autoritatem atque licentiam, per pravæ alicujus consuetudinis quasi hiatus quosdam, dilabatur. Quare hoc sæpe usu venire solet, ut, quæ mala ab Episcopo in vulgus emanarunt, quæque ab initio minima ac tenuissima videbantur, ita paulatim, parvis hisce initiis orta, peccandi consuetudine corroborentur & crescant, ut maxima ac validissima, nescio quo pacto, brevi temporis spatio efficiantur. Si enim è summo illorum montium fastigio, quos perpetuis obsitos nivibus intuemur, parvus nivium globus, vi ventorum evulsus, ad ima decucurrerit, adeo, dum deorsum præcipiti fere lapsu devolvitur, multarum collectione nivium excrescit, ut, antea quam ad montis radices devenerit, in immensum prope orbem



conglobetur: ita etiam, quodcunque in Episcopo vitium extiterit, cujus dignitatis celsitudo, pæne in immensum evecta, ceteris omnibus humanis honorum gradibus infra ejus fastigium subsidentibus, eminet, ad inferiores repente descendit, & tum usu & exercitatione, tum etiam quia vulgus insolescere per licentiam solet, ita in dies ingravescit, ut ex parvo tolerabilique maximum ac plane intolerandum evadat. Quid potest nebula rarius quidve subtilius inveniri, quæ toto diffusa cælo, & ad veli similitudinem extensa, dispergitur? aut quis non illam ad arbores fructusque recreandos immissam potius arbitraretur, quod sit illi tanta cum rore pruinaque similitudo, ut nihil præter humorem continere videatur? ea tamen natura prædita est, ut, quasi abditis inclusisque sub contrariæ naturæ specie ignibus, frugibus & fructibus, depravando vel exiccando, plurimum possit obesse. Ita etiam, quum frequentibus ludis conviviisque delectatur Episcopus, ut nihil aliud, præter animi oblectationem honestam, quæsisse videatur; iisdem tamen non sine magna pernicie populorum utetur. Vt enim terræ sterilitas sive fœcunditas cælo accepta refertur; nam, maturis imbribus mollita, & solibus tepefacta tempestivis, magno semper cum fœnore reddet quod acceperit; at contra, si perpetuis tempestatibus obrueretur, vel de cælo tangeretur, non modo fructus nullos procrearet, sed illico ipsius quoque terræ deflagratio atque extinctio consequeretur: ita uberes seu steriles animorum fructus Episcopo jure erunt optimo tribuendi, qui cum cælo non incommode æquiparatur à Gregorio, quod non solum, deletis prorsus ex animo rerum fluxarum imaginibus, totus debeat in cælestium bonorum cogitatione defixus hærere, sed etiam, sicuti cælum, quod cuncta, quæ infra ipsum sunt, sua luce lustrat & complet, erroris & ignorantiæ tenebras suo lumine discussurus, clarissimum quasi jubar doctrinæ sanctitatisque præferre. Moyses, ille summus Hebræorum Antistes, quum Sacerdotes & populum Israël universum ad concionem advocasset; quibus aut Dei voluntatem aperiret, aut obfirmatas in scelera voluntates, constitutarum improbis pœnarum formidine, ad virtutem permo-

permoveret ac flecteret: *Attende cælum*, inquit, *& loquar; & audiat terra verba oris mei.* Quid enim, ait Gregorius, per cælum nisi Sacerdotalis ordo, quid per terram, nisi reliqua civium multitudo, designatur? Quare, quidquid inerit in Episcopo vitii, id ab ipso, veluti è cælo, in populum, tanquam in aliquas terras, delabi necesse est, quo universus corrumpatur. Maximum illud invidiæ, quo Christus conflagravit, incendium, quod nec suo ipsius sanguine potuit nec ipsa morte restingui, quid aliud profecto, præterquam impius Iudæorum furor, excitavit, Sacerdotum & Pharisæorum furoribus inflammatus? qui tentatis rebus omnibus, ubi spes cunctas conspicati sunt in irritum vertere, nihil æque efficax ad vulgi odium concitandum invenere, atque suæ impietatis exemplum. Quid enim aliud impia vox illa significavit, *Numquid aliquis ex principibus credidit in eum, aut ex Pharisæis? sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt*; nisi, quocumque illi incubuerint, quorum dignitate & autoritate, sacrarum litterarum notitia & divinæ legis scientia sustineatur, eodem ceteros inclinare necesse esse, quoque illi, quos sibi morum magistros depoposcerint, vitæ duces acclamaverint, arcanorum mysteriorum interpretes elegerint, iverint, contenderint, vela panderint, eo sese cunctis incitato studio conferendum esse, admirabili consensu conspirandum, ac prope conflata voluntate velificandum? Quasi iis, qui insolita illa ac plane pusillas humani ingenii vires excedente doctrina victos se esse faterentur, ita responderint: Nos, qui in Synagogis quasi clavum tenemus, ex Ecclesiæ navi dejectum illum in turbulentissimos popularis invidiæ fluctus deturbavimus; vos autem eodem, unde præcipitem eum ejecimus, humeris reportatis? nos, in obscuris abditisque legis mysteriis illustrandis, divino quasi lumine perfusi, illius doctrinam velut inanem, falsam, & Mosaicis sanctionibus contrariam, jamdudum explosimus; quid vos, nulla scientia divinarum rerum exculti, nec ullis legis præceptis imbuti, illam tantopere amplectimini? nos, qui, Dei beneficio ac munere, tantam ejusdem effectorum peritiam callemus, ut hic in terris nescio quid divinitatis jam habere videamur, tanto ante denunciavimus,
hæc

hæc Christi miracula non ab ipsa divinitate prodire, sed, diabolicis ex artibus manantia, mortalium, & maxime imperitorum, oculis illudere; quid vos, horum omnium ignari, has repente nugas ita vehementer admiramini? Vos perfidi legis antiquæ religionem vestro scelere violabatis, cujus vos tametsi verbis defensores acerrimos profitebamini, vestra tamen plurimum à factis distabat oratio. vos miseros vestra illusit impietas, quos, tamquam si offusa oculis sempiterna nox esset, clarissima Christi divinitatis luce privavit. vestra temeritate atque superbia effectum est, ut, quod vos illustrare debebat lumen, illud à vobis tamquam ab indignis averteretur, totumque ad humiles atque abjectos homines effunderetur à patre luminum: ita ut cæca, ac perpetua caligine vestra obducta mens, non modo jam nulla fidei Christianæ mysteria perceperit, sed, qua prædita erat, rerum divinarum notitiam amiserit. Sed, quid ego his testibus utor, quasi res dubia aut obscura sit? Quorundam Episcoporum vita, libidinis & avaritiæ sordibus inquinata, tantam Christianis rebus plagam imposuit, quantam insequentes, liberalitate & temperantia, sanare per multa secula non potuerunt. Doletis, mortalium plurimos, varios in errores inductos? pravus induxit Episcopus. Ingemiscitis, regna atque nationes à fide, à religione, à veritate defecisse? eædem quoque Episcoporum culpa defecere. quæ, dissolutis suorum Antistitum moribus atque licentiæ, nimis pertinaciter infensæ, & ægre ferentes, ei se capiti subjecisse à quo in reliqua membra nihil nisi pestiferum illaberetur, absciderunt se ipsas à corpore Ecclesiæ, eique, per scelus & audaciam, impium atque nefarium bellum indixerunt. adeo ut Gregorius, cognomento Theologus, Præsulum vitia, mortalium animos tanquam venenis malis imbuentia, pestilentiæ & fullonum coloribus comparaverit: neque enim citius rudis aliquis pannus colore, quem combiberit, infici, aut animantium corpora, pestilentis cæli aspiratione, furentis ac debacchantis morbi gravitatem in venis atque visceribus concipientia in mortiferam tabem incurrere, quam corrupti Pontificum mores in intimos animorum nostrorum sensus atque recessus penetrare, seseque infundere, soleant. Verum, antiquus

antiquus humani generis hostis, ad impediendos Christianorum in solida virtute processus, nondum iisdem nos criminibus, quorum conscientia summo sacerdotio præditi constricti tenentur, obnoxios reddere studet, sed, ex ipsis pietatis actionibus, in delicta gravissima turpissimaque impellere flagitia non veretur. Etenim quum ceteris mortalium adhibenda sit quædam reverentia adversus homines, & curandum magnopere, quid unusquisque de se sentiat, tum haud scio an alicui magis, quam Episcopo: verum hoc ipsum, ut fere cetera omnia, quæ pertinent ad mores recte componendos, cautionibus quibusdam, quasi cancellis inclusum, retinetur: nam quotiescumque Christi gloria, & salus animarum, concurrere cum gloria & salute nostra videatur, subeunda nobis potius est quælibet vel acerba conditio, quam committendum, ut nostræ existimationis & incolumitatis ratio, quam divinæ gloriæ & proximorum utilitatis cura, nobis potior & carior fuisse videatur. Potuitne quisquam sanctior vel innocentior Christo Domino reperiri? quem porro unum sacræ litteræ sanctitatis exemplar extitisse testantur, ejusque ope & auxilio cunctos, qui se in studio castitatis exercent, voluptatis illecebras & carnis incitamenta contemnere didicimus. deinde quibusnam divina illius virtus notior esse poterat atque perspectior, quam ipsis Apostolis? quibus quotidiano ejus convictu fruentibus, castissimos ejus mores, & virginalem illum oris pudorem, perpetuo contemplari licebat. unde postremo, misso tamquam in jam maturam messem divino gladio eloquii, uberiores animarum fructus reportavit, quam ex Samaria, Samaritanæ illius mulieris ad Deum conversionis occasione? quum idem ipsæ Samariæ regiones Euangelium non repudiaturas, segeti spicis uberrimis, & annua maturitate albentibus, confertæ comparaverit: magnam tamen Apostolorum animis insolitus ille cum muliercula congressus admirationem excitavit. Ex quo maxime id, quod diximus, emergit, debere Episcopum, quoad ejus fieri possit, & recta ratio patiatur, non modo crimen ipsum sed criminis etiam suspicionem effugere, quum eidem benè gesta, & summa cum animarum utilitate perfecta, nonnumquam vitio & culpæ tribuantur.

Quare

Quare, si sanctissimos viros, & optime de Christiana Republica meritos, dum maxime ad homines juvandos incumberent, in suspicionem perpetrati criminis venisse comperimus; profecto, quem nam tam dissoluto fore putamus animo, qui res atrocissimas omniumque suppliciorum gravitatem præponderantes, ab illis perpetrari cum videat, tacere ac negligere possit? quem porro tam durum & inhumanum, qui rei indignitate non exterreatur, quum illos, qui in suam se fidem, atque tutelam, unicam Christi sponsam recepisse jactantur, quam, propter hanc causam, uni viro virginem castam exhibere sese deberent, non modo impuris Christi hostibus omni flagitio violandam reliquisse, sed eandem ipsos, detractis ornamentis pulcherrimis quibusque, ceteris denudandam sive potius dilacerandam dedisse, animadverterit? Quæ quum Bernardo partim acerba & indigna, partim etiam intoleranda videantur, sic ex animi sui sensu atque dolore vociferatur: Cujus est illa pecuniæ vis ingens, cujus sunt locupletes illæ magnificæque domus, in urbium modum exstructæ, ebore auroque fulgentes, tabulis pictis signisque refertæ, quibus non modo ipsi, sed infimæ etiam sortis amici & familiares abundant, nisi sponsæ? quæ funditus bonis omnibus eversa, hæc illa tanta tamque præclara, ex ejus luculento patrimonio, tanquam è naufragio, collegerunt: tanta illa auri & argenti cælati, tanta gemmarum multitudo, tanta tapetium & conchyliatæ vestis & peristromatum copia, quantam potentissimorum Regum luxuria ex infinitis locis collectam coacervare una in domo vix posset; quid aliud est nisi sponsæ infelices ornatus miserandaque spolia, quæ nullo vestitū contecta, sed calamitatibus omnique miseriarum genere cooperta, illuvie & squallore oblita, contumelias & turpitudines omnes subire compellitur? tot illa varia & exquisita ciborum genera, quibus magnificæ illorum mensæ complentur, cujus sumtibus nisi locupletissima sponsæ ejusdem dote comparantur? quæ, macie deformata, perpetuo cruciatu famis sitisque conficitur. nec sane quidquam excogitari potest acerbius, quam se in bonis Ecclesiæ ad virginum inopiam, ad viduarum solitudinem sublevandam, collatis, certos eorum administratores sumtuosius insolentius

lentiusque jactare, illas vero miseras, de spe omnis prorsus humani præsidii dejectas, eorum opem implorare, ad fidem frustra confugere; hos patrimonia pauperum effundere, fortunas abligurire, illas orare ut vivere ipsorum misericordia liceat; hos in avaritia & cupiditatibus neque modum neque modestiam habere, Deum illas hominesque testari, suam sæpius concussam pollicitationibus impurissimorum hominum pudicitiam, nisi Ecclesiæ opibus sustineatur, labefactari; à quibus illis nimirum immanissimis sumtibus, quos in mutis parietibus, in stipitibus inanimis ornandis, quos in equis in canibus alendis, ut alios quibusvis etiam bestiis fœdiores homines taceam, insumunt, tam indignum facinus averteretur. Sed, ceteris in rebus perfidi, in uno fideles esse reperiuntur; in omnibus sponsæ eversores crudelissimi, sunt tamen in uno, in suo scilicet jure persequendo, ejusdem pii atque optimi conservatòres. nam, ubi primum ejus in bonis vestigium posuere, statim vetera illius altaris aut Ecclesiæ monumenta revolvere, aliis litem intendere, aliis negotium facessere, aliis possessionem adimere, ab illo prædium abjudicare, summo jure agere, æquitati, misericordiæ locum non esse; ut satius plerumque sit, inter sceleratos, inter barbaros homines, inter feras, ætatem degere, quam in hac istorum tanta immanitate versari. Denique, eo tandem miseriarum deventum esse, idem Bernardus affirmat, ut præclare de illa meritos esse eos arbitremur, qui, si, quam male negligenterque custodierint, non etiam eandem in ultimum discrimen & miserandam omnibus conditionem adduxerint. Quod si eloqui misera posset, non modo, ad suam tantam calamitatem deplorandam, durissima hominum corda compelleret, sed lapides ipsos flere quodammodo cogeret & lamentari. Me miseram, fortasse diceret, dum inops eram, dum parvis opibus & facultatibus prædita, benigne me omnes excipiebant, humaniter tractabant, in deliciis habebant; nec recusabat optimus quisque pro dignitate, pro salute mea, pro meis commodis, suam non modo operam, studium, & laborem impertire, verum ad pericula etiam accedere, inimicitias suscipere, omnes acerbitates, omnes dolores cruciatusque, perferre; om-
nium

nium denique rerum egentem nihil prorsus deficiebat; jam vero, summis opibus auctam, ingentibus divitiis ornatam, omnes boni repudiant, viri sanctissimi, ne contaminentur, reformidant: solum nescio qui (quo eos nomine appellem nescio) ubi me conspexere, ferociter propter prædam invadunt, oppugnant, spoliorum causa vexant; itaque pro se quisque trahentes, distractam dilaceratamque diripiunt, ut, in summa rerum omnium abundantia, vitam misere cogar in solitudine & egestate degere: &, quod acerbius videri debet, ipsæ meæ opes, tantas mihi facessunt injurias, mea ipsa commoda tanta hæc pericula creant; quod sane si ii, qui me tot bonis locupletarunt, prospexissent, ea, tanto mihi luctui futura, flammis fortasse tradere maluissent. Quare mea omnia cuivis optima fide concesserim, iis æquo animo caruerim, ex omnibus rebus me ipsam nudam, nec præterea quidquam, exceperim, libenter aliena misericordia vixerim, dummodo omnia mea pristina commoda recuperem, vel certe tanta à me pericula injuriasque propulsem. Quapropter, ut omnis improbis viris eripiatur illius infontis vexandæ licentia, ita debet Episcopus, cui illa tamquam in matrimonio certo stabilique locanda est, in virtutibus omnibus præter ceteros excellere, ut qui non multis ab hinc annis arctiorem vitæ morumque disciplinam subierit, & in maximis summisque virtutibus comparandis plurimum operæ temporisque consumserit, non modo Episcopatum debeat non expetere, verum etiam ultro delatum recusare. Quid? nonne Bernardus sciscitanti Brunoni, utrum sibi, paulo ante ad studium perfectionis ingresso, demandatam Coloniensem Ecclesiam suscipere an recusare fas esset, aperte rescripsit, ut omnino caveret, ne ad illius seu ad alterius Ecclesiæ regimen capessendum accederet, quod nondum illius curriculi metam potuisset attingere, in quo mox versari cœpisset. Extat Gregorii Magni, Neapolitanos graviter objurgantis, epistola, quod nescio quem in illius Ecclesiæ solium, cum magna virtutis commendatione, recipere vellent, qui filiam ex concubina susceperat, ætate nondum adultam: Si enim, inquit, ex ætate puerulæ, tam commendatæ probitatis ratio subducatur, nec credi nec

existi-

existimari quidem potest, id quasi repente consequutum esse eum, quod vix multorum annorum laboribus, sudore, vigiliisque colligitur. & valde, electi illius Episcopi fiduciam increpat, quasi majora, quam caperet, optantis recipientisque, quibus salva conscientia non deberet temerarias manus admovere. Quum enim jam oporteat eum, cui Ecclesiæ gubernandæ provincia tradenda ac demandanda est, inchoato perfectionis operi quasi fastigium imposuisse, eo ne unquam cujusvis industriam pervenire posse credideris, quem non diu multumque spectata virtus, & exquisitæ probitatis fama, commendaverit? tu ne tantum tamque perfectum tibi opus exædificasse & ad summum perduxisse videaris, qui si recte volueris animadvertere, fundamenta vix jeceris? tu ne gregem tuum, per rerum terrenarum despicientiam, ad Christianæ vitæ perfectionem traduxeris, quum illam, quam alteri monstraturus es, viam non modo nunquam ipse confeceris, sed ne ingressus quidem aliquando sis? tu ne aliorum animi ægritudinum sanandarum partes susceperis, quarum ipse insanabili intestinoque morbo labores? quam sane ad edomandas cupiditates idoneam ceteris medicinam præbueris, qui in tui ipsius animi motibus sedandis, nihil operæ studiique posueris? quod si te ita cœcum reddiderit avaritia atque cupiditas, ut hæc intueri, quamvis clarissima, non possis, anteactam vitam consule; hæc dabit tibi jam tacite contra te ipsum firmum & grave testimonium. Si ad parietes fulciendos tantopere cavemus, ne quam recentissime cæsas ab arboribus trabes adhibeamus, quod maxime veremur, ne succo à radicibus deducto adhuc molles, sese flectendo, aut deinceps, dum exsiccantur, decrescendo, vitiosarum ædium ruinam non tam reparare quam accelerare possint; parum ne referre putabimus; si labantes, & jam prope ruentes, hominum mores, sustentandos eidem tradiderimus, qui nuper à peccandi consuetudine, tanquam à radice, revulsus, veteres illos spiritus quasi intra venas inclusos retineat, nec maximas sibi virtutes ab adolescentia comparaverit, quas perpetua constantia studioque roboraverit? ita ne vero, quod in stipite, in trunco, requiritur, id in homine, in Episcopo, negligetur? nam, Episcopo omnium esse onera sub-

eunda, factum est jam tritum sermone proverbium. at, quæ tandem graviora irâ, invidiâ, ceterisque perturbationibus onera sustinemus? quorum gravitate ita premimur, ut etiam opprimamur interdum. hæc quum adversus illum concitantur in nobis, ita sunt Episcopo toleranda patienter, ut & facienti injuriam ignoscat, & simul misereatur errantis. cui majus est cum improbis negotium quam Episcopo? in quem melius, popularibus procellis agitatum, falsæ criminationes confinguntur quam appositissime ad veritatis imaginem, quam in Episcopum? in quo plura magis patent, invidorum libidine ferienda, quam in Episcopo? igitur, qui nulla recte factorum conscientia sustentatus, sed solum arrogantia subnixus, tantæ rerum moli cervices obtulerit, quis dubitet, eum & sibi ipsi interitum struere, & ceteris perniciem ruinamque moliri? Sed quid? inquies; non debeam rogatus, non imperio superiorum adductus, necessitate præsertim urgente, oblatos ultro Episcopatus accipere? Profecto divum Thomam illum, qui, quum ob singularem innocentiam, ob excellentem doctrinam, ob incredibilem sapientiam, ac pæne divinam, dignus propemodum præ ceteris esset, qui ad Ecclesiæ gubernacula sederet, à Deo vehementissime efflagitavit, ne ullo unquam tempore ad Ecclesiasticos honores eveheretur; sanctissime doctissimeque docuisse non inficiabor, debere eum, qui tantæ sit capax rei, summo jubente Pontifice, quacunque sui commodi ratione posthabita, impositum hoc sibi laboris onus totis viribus excipere, quum non solis nobis sed etiam, atque adeo multo potius, nati Reipublicæ simus. qui igitur est operi abunde sufficiens, nec communis officii pondere opprimi se ita facile posse sentit, hic, inquam, ad principatus Ecclesiæ, jussus, accedat; hic præbeat muneri cervices maximo atque gravissimo. quod si cum fide diligentiaque obierit, habeat pro comperto, fore, ut pro ipso etiam à Deo præclarissimum illud usurpetur elogium: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium domini tui.* sed omnis mihi tecum contentio est qui solum propter nimiam opum cupiditatem Episcopatus affectas, exquiris, per ignes, ut

ut ajunt, ferrumque petis, qui non oblatos solum invadis, sed vix etiam ostensos, ne te celerius alter arripiat, prope per vim abducis, quum nulla habeas vel à natura vel à labore adjumenta rerum gerendarum, quum totus undique peccatis mendisque scateas, quum tuorum scelerum conscientia, sacrosanctum illud diadema capiti nequissimo non convenire, vociferetur. ut pulchre Hieronymus, summam prope sanctitatem, & sacerdotale capitis insigne, una eademque Hebraicæ vocis comprehensione devinciri & colligari animadverterit. quasi arcta ac prope individua inter se societate conjuncta, nisi adhibita quodam modo vi quadam, dissociari sejungique non posse videantur. at nonne suis ipse te stimulis fodiat, imo potius laceret atque cruentet pudor, quum illud tibi diadema, cunctis tacite reclamantibus, imponitur, quod tua à te sordida vita, omnium cum plausu, rejiciat? an tu, quem omnia tuo commodo metientem spes tantum utilitatis pæne præcipitem in hanc cupiditatem impellit, cogitasti, non solum quid oneris in præsentia tollas, sed quantum in omnem vitam negotii suscipere coneris? numerasti ne omnes ad unum animas, quæ tua diœcesi continentur? Quid loqueris de animabus? ego scio, quot prædia habeat; & simul illud teneo, maximam uno anno ex eorum fructibus pecuniam confici posse. At Basilius, Ambrosius, Augustinus, accurate capita percensebant, & parem exhibentes muneri, quod subierant, diligentiam atque laborem, quotidie, quasi expensi & accepti rationes, integre conficiebant, & cum Deo consolidabant. Nimis antiqua, & jam obsoleta commemoras; hæc laus egregiæ virtutis & innocentiæ, fuit, non solum hominum, sed temporum illorum propria. Quid ais? utrum existimas, Christum, curæ assiduitate atque labore defatigatum, omnem à suo grege cogitationem abjecisse? an putas, multo eum diligentius ab illis, quam à te, vitæ rationem repetiturum? in utroque vehementer deciperis; namque adeo sua sibi sponsa adhuc cordi est, ut illius incolumitas existimatioque præcipua divinæ ejus providentiæ cura contineatur, teque ita omnibus custodiis subjectum, severissimo Dei judicio tradidit, ut neque in

ejus bonis administrandis, neque in agris colendis, neque in vectigalibus exigendis, neque in faciendo neque in omittendo, ne minima quidem libella, sine tua maxima pœna, durum possis dominum fraudare. Verum, inquies, ad id perfectionis culmen se divinorum hominum perduxit industria, ut desperanti mihi, consequi posse id quod ipsi sunt assequuti, omnem prorsus eripiat persequendi voluntatem. fortissimum, ut tibi videtur, propugnaculum nullo negotio ex tua defensione dejicitur. nam & hi, quos nominavi, etiam homines ipsi fuerunt, eodemque Dei præsidio muniti, ac tu ipse, si velis. cupis tu quoque summum virtutis illorum adæquare fastigium? eorundem vestigia persequere. quis enim eo se posse pervenire desperet, quo multorum impressa vestigiis, & frequentibus contrita itineribus via, ac repercussa appareat? Sed video, quid sit, quod tua vehementer studia retardat, teque à laudabiliore vitæ genere revocat atque deducit. Etenim non desperatio imitandæ veterum innocentiæ & sanctitatis, sed incitatum atque propensum ad effrenatas libidines studium, & is, quo maxime virtus pretio comparatur, & quem plerique fugimus, labor tibi bene fortasse animato languorem affert, & spem maxime debilitat. Erras plane, si putas, aliis gradibus, quam plurimo labore atque sudore, multis diuturnisque vigiliis, ad summa contendi. in maxima rerum omnium despicientia, caste admodum & liberaliter sancteque vivitur; hæc omnium virtutum familiam ducit. pone tibi ante oculos unumquemque eorum, qui fuerunt Ecclesiæ lumina, qui rebus gestis atque virtutibus, perpetuæ Ecclesiæ pacis fundamenta jecerunt, Athanasium, Basilium, Ambrosium, Augustinum, reliquosque permultos, horum similes: num arbitraris, fuisse aliquid aliud amplissimis viris in vita propositum, præter Dei gloriam, præter fidei catholicæ propagationem, præter officium fortis atque constantis Episcopi? num eos existimas, liberalitatis & continentiæ remis affluentes, undique divitiarum undas propellentes, tanquam ad aliquem libidinis scopulum, erectam in cælum mentem appulisse? num ullam rationem habuisse reperies, aut auri argentive ad avaritiam, aut amœnitatum ad delectationem, aut supellectilis ad delicias,

cias, aut epularum ad voluptates? domos suas non tectoriis aureis inducebant, sed splendore virtutis illustrabant; non tabulis pictis, non signis ornabant, sed rerum gestarum gloria decorabant; non filicatis frequens pateris convivium, non Corinthiis operibus, non vasis ex auro vel è gemma factis, instruebant, non mensas conquisitis cælo marique epulis onerabant; sed contra, summa parsimonia, complebant; non hæreditates ingentes transmittebant ad posteros, sed innocentiæ famam relinquebant. Verum, Pontificum maximorum salutaribus decretis & institutis, atque adeo incredibili hujus optimi principis diligentia, & prope singulari vigilantia, improborum hominum cupiditati obstructa est via, ut jam omnis fere nostra supervacanea sit & abundet oratio. At video, quorsum recidere, quove tanquam ad arcem confugere, istorum defensio possit, qui cupiditatem non modo suam excusare, sed cohonestare etiam, consueverunt. ad omnes enim meos impetus, quasi quidam murus, Pauli Episcopatus opponitur; qui tunc, quum ejus maxime furor in Christi discipulorum cæde bacchantis effervesceret, quum acceptis à summis Pontificibus literis in Christianos, qui Damasci per id tempus commorabantur, irrueret, dum infesto animo atque minaci, ad Ecclesiæ pestem, ferrum flammamque præportaret, quum illius jam jam crudelis & pestifer adventus timeretur, ejus offusa oculis animoque insolita divini splendoris luce, ita mentis caligo depulsa est, ut susceptum illico furorem abjecerit, &, ex acerbo crudelissimoque Christiani nominis hoste, omnium repente gentium magister evaserit. quo in munere ita versatus est, ut unus fere extiterit, in quo omnium solicitudo Ecclesiarum inhæreret atque adeo salus niteretur, & ad occasum ab ortu solis Euangelii semine diffuso ac propagato, suas ipse res gestas atque virtutes iisdem, quibus solis cursus continetur, regionibus terminisque concluserit. Quam levis est ista defensio! quid? non ne potuit Deus Paulum, aut quemvis alium, quamvis impurum, quamvis improbum, quamvis impium, quamvis omnium scelerum luto demersum, inde abreptum extrahere, &, vitiis perpurgatum, summis repente virtutibus exornare? at te, jam

divino ejus munere è cœno peccatorum emersum, fine longo usu & diuturna exercitatione in nullo voluit virtutis genere expolitum esse, planeque perfectum. Sed profecto non intelligis, tuam istam temeritatem maximum esse contra te ipsum testimonium, te nunquam in studio perfectionis elaborasse? His itaque de causis Episcopalis dignitas tanta, cum laborum & periculorum, tum vitæ & existimationis, societate, copulata est, ut in re magis ardua difficilique versari videatur, qui uni tantum Ecclesiæ præsit, quam, qui civitates omnes atque provincias, terra marique summo cum imperio regendas administrandasque, susceperit; immo, ut Chrysostomus ait, tantum interest inter utrumque, quantum inter levem cymbam, quæ velis remisque instructa, & multorum jugi conatu, placidissimo flumine, secundis conspirantium ventorum flatibus impulsa feratur, & navim onustissimam, quæ, adversa in alto tempestate jactata, tenebris offusis, fractis remis, demersis remigibus, gubernatore metu perculso, eo adducta est, ut verendum maxime sit, ne è tantis unquam enavigatura periculis, aut uni ex imminentibus scopulis appulsa, frangatur, aut vorticibus hausta, in profundum detrudatur. nam, qui, orbi terrarum universo, cum summo præest imperio, ut ingenti undique negotiorum mole urgeatur, multorum tamen ope, quasi humeros eidem oneri supponentium, maxima laboris parte levatur; ad hæc, adversus multitudinis levitatem, contra perditorum temeritatem, suorum caritate munitur, armatorum præsidio stipatur, imperium detrectantes & perniciosos cives, multa, vinculis, verberibusque coercendi, liberam habet à lege potestatem: contra vero, Episcopos hisce omnibus fere auxiliis destitutos esse reperies. O conditiones miseras regendarum animarum! ô rem, periculorum insidiarumque plenissimam, in qua rectores vel egregii, ab amicis inimicisque, promiscue subjectis invidiæ facibus, falsis criminibus circumveniuntur, ubi tum suorum, tum exterorum insidiis expetuntur, ubi, si severitas adhibeatur, odiosa futura est, si lenitas & clementia, ne contemtum pariat verendum est; ubi severitatis acerbitas ita est lenitate clementiæ mitiganda, ut non, aut desperatis animis, castigationis acerbi-

acerbitate, dolor nimius induratur, aut, dissolutis clementiæ licentia, peccandi autoritas tribuatur. Quid multa? jactantur illi, ut in vastissimo mari, adverso turbine, quassata navis, aut mox ab eodem misere discerpenda, aut infesto gurgite devoranda. Neque tamen infestus humani generis hostis, tanta tamque atroci adversus sacros populorum rectores tempestate commota, quiescendum sibi esse ducit, sed novis procellis atque turbinibus excitatis, coortam tempestatem augere sæpe conatur. quoties enim cum illis graves inimicitias sceleratos homines adire compellit, dum pro suo munere, ad corruptos civitatis mores emendandos, omnes nervos intendunt! quoties ad augendas vel conservandas pauperum facultates intentis, varia ac multiplicia pericula proponit! quoties, pro imperio vel Ecclesiastica dignitate provocatis, cum multis, audacibus, improbis, nonnunquam etiam potentibus, adfert dimicandi necessitatem, ut, quod Ecclesiæ vel bonorum patrocinium susceperunt, cogantur deinde aut propter potentiam adversariorum abjicere, aut propter infirmitatem animi deponere! Quod si quis innumera sanctorum Patrum præclare gesta ex veteri memoria repetierit, & procellas omnes ac tempestates, quibus à suis inde usque primordiis Ecclesia Christiana jactata atque afflicta est, cogitatione pervolverit, non ne semper illos, quum cupiditatibus Principum restitissent, hæreticorum opes infirmassent, opinionum monstra debellassent, pro Ecclesiastica libertate acerrime decertassent, in medium rerum omnium discrimen devenisse, & in maximas invidiæ & molestiarum turbulentissimas tempestates, concitatis iniquorum animis, incidisse cognoverit? quis sane infinitos labores atque pericula, cum Episcopali splendore conjuncta, non reformidet, si Basilii Cæsariensis Episcopi, quas sæpe perpessus est pro Catholica Religione injurias & incommoda, legerit? in quem unum ut sacra Catholicorum templa, ab Imperatore Valente impuræ superstitioni hæreticorum addicta, ad veterem cultum deduceret, & nefarium servitutis jugum à cervice Christianorum repelleret, omnes illi fluctus redundarunt, quos à communi peste depulerat. quis innumeris profecto & multiplicibus, contractis

ab Athanasio, insectationibus ærumnisque, perspectis, ad tam turbidos honores concitato impetu sese ferentem cupiditatem, quasi à medio cursu non avocet in tutumque perducat? ad cujus interitum, omnium generum atque ordinum consensus, omnium gentium conspiratio conjuravit, denique omnium fere miserias, & fortunæ ludibria, in unum illum antistitem optimum, immanissimorum hominum efferata rabies cumulavit. nam cum, à Constantini temporibus usque ad Valentis imperium, contra inter horum Principum ætates interjectos Imperatores, veram germanamque Christi fidem protexisset, quum ad Ecclesiæ navis, tunc maxime fluitantis in alto tempestatibus Arianorum, gubernaculum accessisset, tot perpessus est insidiarum & malorum omnium fluctus, ut male jactatum nullus in toto terrarum orbe tutus à persequentium furore angulus, quasi portus, exceperit. persimiles fluctus ac procellas perpessus est Chrysostomus, qui, post egregiam in rebus divinis navatam operam, in exilium ejectus est; ubi, ærumnis miseriisque confectus, excessit è vita: ut vere dici possit, eorum plures, qui in hanc ejusmodi honorum navim conscenderint, tempestate coorta absorberi, quam, eadem sedata, tutum in portum tranquillumque deferri. Quæ cum ita sint, non est, quod tantopere Gregorios, Ambrosios, Augustinos, admireris, quod eam in summa virtute & eruditione modestiam retinuerint, ut non modo oblatos sibi ultro Episcopatus rejecerint, sed, ne ad eos capessendos inviti cogerentur, sese in silvas & desertissimas solitudines abdiderint. nam etiam si in Christiana Republica per id tempus nulli re vera ad id aptiores invenirentur, tamen, ut acres & intelligentes rerum æstimatores, tantæ molis gravitate perpensa, longe imparem suam esse imbecillitatem oneri, judicavere; & jam perspicientes quanto tutius esset, sacerdotale regnum respuere, quam accipere; quasi cautius duxere, corpus feris objicere, quam se populo, multorum capitum belluæ, & omnium ferarum immanitatem superanti, committere. Quis enim, nisi inconsideratus ac demens, se talem esse putaverit, ut jure tantæ rei præficiatur? quis, nisi temerarius sibique præfidens, in tam amplo latoque pastoralis officii pelago, ita

semper

ſemper rectum curſum tenere ſe poſſe confidat, ut nec urgentibus periculorum procellis, nec humanorum commodorum aura leniter aſpirante, de recto unquam tramite deflectat, neque ad dextram neque ad ſiniſtram? at, ſi adhuc in ea mente perſiſtas, ut pertinaciter hanc iſtorum Patrum in repudiandis honoribus tam conſtantem voluntatem admirandam putes, ſcias etiam, eandem fore tibi multo magis imitandam, quum ea nos præſtantium virorum facta ad imitandum aptiſſima judicemus, ad quorum exemplar ſi omnis vitæ noſtræ ratio referatur, maxima ad nos inde emolumenta, atque adeo ſalus certa, redundet. Verum non ideo hæc dixerim, quod hos honoris titulos, per ſe malos & improbandos eſſe, ducerem, ſed quod ſummum ac prope divinum hominem requirant; quorum ſimiles paucos meminiſſe vix poſſumus. quos tamen Chriſtianæ Reipublicæ neceſſarios eſſe, nemo eſt qui neſciat; nulla enim civitas, nullus hominum cœtus, ſine magiſtratu, ſine imperio, ſine lege, poteſt, tanquam ſpirans, ſed vitali ſanguine deſtitutum, corpus, nec ad modicum quidem tempus perdurare, quum imperantium æquitate & civium obedientia omnis Reſpublica contineatur: immo vero, eo magis venerandos à nobis atque colendos cenſeo, quod in Eccleſia, ad ordinum & perſonarum diſcrimina retinenda, ſunt inducti divinitus. Quapropter Epiſcoporum imperio ita nos ſubjectos obedienteſque præbeamus, ut ſimul virtutes eorum imitemur, &, quum Chriſti perſonam inter homines ſuſtineant, tanquam è cælo delapſos, intueamur. Sic enim fiet, ut, ſi quis veſtrum aliquando ad hoc celſiſſimum dignitatis faſtigium vocetur à Deo tanquam Aaron, eo dignior, qui imperet, habeatur, quo ceteris ſubmiſſius modeſtiuſque paruerit.

ORATIO II, AD ACADEMICOS PARTHENIOS.

Reprehendenda vobis fortasse, Auditores, prudentissima Patrum meorum consilia videbuntur, qui me, qui non sum cum tot clarissimis eruditissimisque adolescentibus, quorum frequentia hunc consessum exornari videtis, vel ætate vel ingenio comparandus, primum omnium, in hodierni diei lucem & pulverem, initium annuis Academiæ nostræ exercitationibus facturum eduxerint. quum enim communis sit omnium fere opinio, in constituendis ordinandisque rebus, quæ firmissima sunt, ea prima collocari debere, ut expectationi hominum quam celerrime occurratur; quis est adeo hebes, qui non intelligat, graviter ab ipsis in hujus tam celebris Academiæ existimationem peccatum esse, quoniam me, in quo minimum omnes putant esse, primum voluerint dicere? Etenim quum omnes, etiam acres & intelligentes rerum æstimatores, ut plurimum ex initiis de universa re judicare soleant, sine dubio, si initio satisfactum non sit, tot viri doctissimi, qui frequentes ad nos audiendos convenerunt, male se de ingenio nostrorum adolescentum habere existimabunt, è quibus, statim ut inchoari Academia cœpta est, nemo me eloquentior vel eruditior prodire potuerit. Quapropter sapientius facturos eos fuisse dicent, si me, aut nunquam dicere voluissent, vel, quando exaudienda mea vox erat, in mediam turbam, vel in gregem, conjecissent. Verum aliter res se habet, Auditores, atque fortasse existimatis. abundat Academia nostra præclarissimis adolescentium præstantissimorum ingeniis; floret eloquentia atque optimarum artium studiis; prudentissima sunt Patrum sapientissimorum consilia, adolescentes optimi; qui non me potissimum delegerunt,

gerunt, quo summam apud eos, qui audiant, de vobis opinionem diminuerent, sed quo melius vestro nomini existimationique fervirent. horum enim alterutrum eventurum arbitrati sunt, vel me, benevolentia vestra fretum, dicturum aliquid, dignum expectatione omnium, vel, ingenii mei tarditate retardatum, ab eadem longo intervallo superatum iri; quorum si primum contigisset, quid illis reliquum fore, nisi ut summopere gauderent, etiam in hac mea tenuitate ingenii, aliquid inventum esse, quod summam expleret desiderii vestri expectationem? at si alterum omnino, quod erat sperandum, consecutum esset, ut minor videlicet opinione hominum invenirer, non iccirco se hominum reprehensionem offensuros existimati sunt, quum eandem, quam natura sequitur, viam ipsi tenuissent. quid est in natura rerum omnium, quod se universum profundat, nec suo quodam itinere à primis inchoatisque initiis in ultimum perfectumque exitum terminetur? quid est in iis, quæ à natura procreantur, tam altum tamque excellens, quin id quoque levioribus principiis natura ipsa prætexuerit? quod & in stirpibus, & in omni animantum genere, sed præcipue in ipso homine, qui altissimo rerum, quæ à natura proficiscuntur, gradu continetur, intueri licet. hic enim, primum imbecillus, elinguis, consiliique expers, in lucem editur; verum ita vires in dies sumit, ut firmissimus, disertus, ac prudentissimus evadat. neque tamen erit quisquam adeo stultus, qui tam solertem providamque parentem non aliis quidem nominibus reprehendendam existimet, quam quod huic plane admirabili ac pæne divino animanti, non summam à principio rationem ac sapientiam tribuisset: citius dixerit, eandem alta quadam mente atque consilio præditam fuisse, quum voluerit idem, non nisi annorum decursu, quasi longa quadam via spacioque confecto, sapientiæ ejusdem metam attingere. Atque adeo verum est, in quacunque rerum institutione esse aliquid primum & inchoatum, deinde subsequi aliquod extremum atque perfectum, ut ars quoque ipsa, naturæ, ut ita dicam, æmula, hoc eodem itinere ad id, cui nihil absit, quodque aptum atque perfectum expletumque sit omnibus suis numeris & partibus, progrediatur.

Etenim

Etenim, ut cætera exempla missa faciamus, quis non videat, in inchoatis picturis nihil aliud nisi horridum quoddam atque incultum cerni? quæ picturæ deinde paulatim coloribus ita illustrantur, ut, quum ad illud ultimum atque postremum absoluti operis effectum pervenerint, ita sæpe res ad vivum exprimant, ut res ipsæ, non rerum effigies, videantur. Ex quo profecto intelligi facile potest, quam apte quamque sapienter ab Academiæ nostræ moderatoribus ego delectus sim unus ex omnibus, à quo intermissæ aliquot mensibus exercitationes nostræ instaurentur; ut nimirum veluti primas quasdam descriptiones ducerem ejus præclaræ picturæ, quam alii deinde eruditissimi adolescentes, summa elaboratam industria, omnibusque numeris absolutam, vobis ante oculos proponant; nihilque aliud me hodierna schola, tanquam rudi quodam penicillo efficientem intuebimini, quam umbras quasi quasdam atque recessus ducentem, quo aliorum, qui me sequentur, doctrina, suis coloribus perfecta, magis eniteat. Adeste igitur animis, auditores, atque adeo vestræ aura benevolentiæ toto Adriatici maris tractu, cujus nunc quidem fluctus perhorresco, cursum orationis meæ dirigite, ut aliquem portum tenere possit. Neminem habiturus sum eorum, quæ dixero, adversarium: nulla mihi erit cum strenuis aliquibus viris colluctatio. ita fortasse visum est Patribus; quippe qui optime norint, quantum sit in me virium & facultatis. libero igitur campo mea excurret oratio, non vehemens non pugnax erit, sed lenis atque placida, eaque ut non ad vulnus sed ad vires evocandas conferat. nam, quemadmodum in gladiatorio vitæ certamine à pugnantibus ita primæ illæ hastæ jactari leniter solent, ut & lacertûm concalefactioni serviant, & reliquis viribus suis consulant, ita in hac quasi contentione doctrinæ, qua literis decernitur, nonnulla fient à me, quæ non ad feriendum hostem, sed ad virtutem, his proximis feriis, quasi diuturna pace, languentem, excitandam, valere videantur.

ORA-

ORATIO III, DE LAUDIBUS GEOMETRIÆ.

NVnquam omnino in me ipſe ſum expertus, Patres religioſiſſimi, ceterique Auditores ornatiſſimi, quod præclaris oratoribus multis aliquando uſu veniſſe cognovimus, ut rei, de qua dicturi eſſent, magnitudine terrerentur, &, in ſumma rerum ubertate & copia, verborum inopia laborarent. id quod contigiſſe mihi hoc tempore, ſentio, quo tempore de laudibus Geometriæ apud vos dicendum eſt. Etenim, quum, de ſingulis dicere, plane infinitum ſit, quas potiſſimum ex tot maximis atque graviſſimis, quibus abundat, laudibus celebrandas accipiam? Si enim, aliquibus tantum inſiſtere, mihi erit in animo, & ceteras omnes prætermittere; jam in eam dubitationem adducor, ne quis me, non tam illam exornandam, quam ſuis ornamentis & honoribus ſpoliandam, ſuſcepiſſe conqueratur. ſed neque idcirco, mihi laborem prorſus ademtum, vel moleſtiam omnem ereptam, crediderim, ſi in uno tantum aut altero laudis genere verſari ſtatuerim; nam, quæ fuerit primum iſta in præſtabilioribus deligendis prudentia, quum omnes æquo inter ſe jure contendant, & magnitudine atque præſtantia ſimillimæ, pari ſplendore ac dignitate mirabiliter fulgeant? præterea, quum earum ſingulæ ſane, quæ multis nominibus celebrentur, dignæ ſint, majores claritati earum tenebras offudiſſe ſilentio, quam eaſdem dicendo illuſtraſſe, videbor. Quare his anguſtiis undique circumcluſus, quo me vertam, aut quid potiſſimum conſilii capiam? Deſpondebone animum? id minime vero. An, timore debilitatus, quod mihi onus impoſuiſtis, cum perfidia abjiciam? ne id quidem. Quid igitur agam? id, quod vere mihi videor eſſe dicturus, ut nihil exiſtimer de gloriæ illius ſumma detraxiſſe, ſi non ſtatim omnia, quæ dici de illa poſſint, effuderim. nam qui laudata magis

exiſtere

existere illa res potest, quidve prædicari de eadem honorificentius, quam ingenue fateri, jam esse in confesso apud omnes, tantam in illam multitudinem laudum confluxisse, ut non modo una, sed ne pluribus quidem actionibus explicari satis commode possint? qui melius occurri satietati audientium potest, quam, rem illam suscepisse tractandam, cujus multitudo laudum atque ornamentorum tantam oratori facultatem & copiam largiatur, ut, si sæpius de illa sit dicendum, semper novus accedat? Sed, quæ longe mihi præstare ceteris ejus ornamentis omnibus videantur, eas esse duco, de quibus, quum scientiæ alicujus dignitas in disceptationem adducitur, quæri potissimum solet; scilicet utilitas, & voluptas: quæ duo ita fere semper natura distraxit atque sejunxit, ut, quemadmodum in ceteris rebus, sic in præclaris facultatibus multis atque artibus, ne minima quidem inter se societate conjunxerit. aut enim semper utilitas abesse cernitur à voluptate, aut certe voluptas ab utilitate secerni. Quæ porro haberi voluptas etiam in summa juris civilis cognitione atque prudentia potest? quid in ea plane dignum inveniri, quod aut jucunda quadam varietate ac delectatione ad se mentes alliciat, aut animum, abstrusarum rerum atque admirabilium investigatione & comprehensione, retineat? tanta tamen quotidie ex illa ad nos beneficia fructusque proveniunt, ut, qui omnium inde maximas ad vitæ communis usum utilitates & commoda depromi negaverit, tanquam hominum societate indignus, in aliquam solitudinem inter feras amandandus videatur. Etenim continuo ex illa, veluti perenni fonte, deducitur, æqui bonique notitia, justi atque injusti scientia; hæc est fundamentum libertatis, fons æquitatis; hæc vitiis pœnas, & virtutibus prœmia decernit; hac una retenta, civitates cœtusque hominum, jure sociati, conservantur, bona, nobis à majoribus tradita, retinentur, res, domus, uxores, à flagitiosorum hominum libidine, & à nefario perditorum scelere liberantur, perpetua ejus custodia ac vigilantia. denique hac eadem, non solum privatorum plurimorum dignitas, non universorum utilitas, sed etiam Reipublicæ totius salus, hominum generis universi & mundi ipsius conservatio, maxime continetur. Iam vero

vero quis locus in tota Philosophia, si cum ceteris ejus partibus, semper quidem uberrimis ac feracissimis, conferatur, est minus fertilis ac fructuosus, quæ ulla pars ejus minus culta, vel minus utilitati hominum deserviens, quam ea, quæ naturæ obscuritate involutas rerum causas evolvit, in mediumque proponit? & tamen fere nulla ars est, quæ arripiatur avidius, cui plures ardentiori studio sese penitus dederint, vel majore cum delectatione jam homines ad ea, quæ ejus abditis atque reconditis è fontibus hauriuntur, scientia & cognitione comprehendenda, commoveantur. quid est enim aut tam admirabile, quam, quæ natura longissime à communi hominum intelligentia sensuque disjuncta esse voluit, quæque, ne scilicet eruerentur, profunda quasi nocte suppresserat, mentis acumine celeriter adipisci, & lumine rationis investigata, ab illis, in quibus jacebant, tenebris evocare, & in lucem proferre; aut tam jucundum cognitu atque auditu, quam occultæ tot rerum admirabilium causæ, abditæque rationes; aut tam singulare, vel prope divinum, quam posse vulgi stuporem & admirationem eludere, & captas vana formidine mentes imperitorum, ratione, soli sibi percepta, dissolvere, ac, torpentes, ad spem ac fiduciam rursus excitare? Solam igitur Geometriam esse dico, qua nihil propemodum generi hominum à Deo immortali sit datum utilius, neque aliquid, ex quo major percipi voluptas possit, oblatum. Atque ut à voluptate, qua maxime sensus hominum afficiuntur, ordiamur; quid potest ad delectationem homini jucundius accidere, quam dimensis astrorum cursibus, maturitates temporum singulorum & varietates mutationesque cognoscere? quæ insatiabilior voluptas, quæ pulchrior, quæ præstantior ad intelligentiam, quam scientia & cognitione comprehendere, quanto tempore, tum errantium, tum aliorum siderum orbes, conversiones suas efficiant? quid præclarius excogitari, quam, ex infinito hominum numero, vel solum, vel cum paucis, in tot disparibus astrorum motibus, quorum alia quædam antecedere, subsequi alia deinde cernuntur, quædam moveri celerius, quædam tanta cum tarditate sua spatia conficere ut pæne insistere videantur, suos quædam paulatim cursus advertere, vel

ad

ad septentrionem, vel ad austrum, quædam spatiis immotis ab occasu ad ortum commeare, atque adeo certa semper progredi via, ut nunquam vel ad dexteram vel ad sinistram vestigium sui cursus inflectant, in tanto cæli impetu admirabili cum celeritate sese vertente, in tanta quasi confusione naturæ, astrorum ortus, obitus, cursusque cognoscere, & de orbium numero, situ, motuque, habere non errantem & vagam sed stabilem certamque sententiam? quid esse admirabilius, quam civitatibus, provinciis, & generi hominum universo, dies, menses, annosque finire, ac multo ante præmonstrare, quas quæque stellæ effecturæ sint in suo cursu varietates, & defectiones solis, ac lunæ, investigatas & cognitas prædicere in omne posterum tempus, quæ, quantæ, quando futuræ sint; demum, scire quodammodo, quid singulis diebus ac noctibus, singulis horis atque momentis, in illis illustrissimis domibus altissimisque domiciliis efficiatur? quo spectaculo quod putas esse pulchrius? quod magnificentius? quo contuentem hæc animum putas gaudio perfundi? qua delectatione teneri? qua suavitate duci? Quam enim majorem voluptatem invenerat Gallus, majoris Africani familiaris, qua voluptate, ut narrat Cicero, senectutis gravissima leniret incommoda, vel potius levaret, præter harum præclarissimarum artium studia? quibus adeo impense operam dabat, ut, ad extremam usque senectam ætate provectus, mori videretur in studio dimetiendi pæne cæli atque terræ, contingeretque sæpissime ut luce, noctu aliquid describere ingressus, & nocte, quum mane cœpisset, opprimeretur. Verum quid abest à Geometria, quod ad delectationem homini comparandam possit prodesse? potest ne major esse ulla in homine voluptas, quippe orto ad cælum aspiciendum & contemplandum, quam illa, quæ ex cognitione & scientia rerum cælestium abunde percipitur? quis enim adeo est hebes, quis sui immemor generis se ita prostravit ad terram, & cogitationes suas abjecit in res tam humiles atque contemtas, qui si pulcherrimum hunc cæli ornatum aliquando suspexerit, non magnopere commoveatur, neque aveat plurimum, scire, qua ratione tanta ætheris moles, raris immutabilibusque cursibus circum terram, feratur,

quanto

quanto tempore globi aſtrorum ſinguli ſua ſpatia conficiant, quot partibus ſol ipſe, qui univerſo mundo tam longe lateque collucet, ſit major atque amplior quam univerſa terra; qui incredibili jucunditate non teneatur, quum cognoverit, quædam eſſe aſtra, magnitudine adeo immenſa, ut centum ac ſeptem partibus, & eo amplius, magnitudine ſua terræ ambitum ſuperantia, cælo complexa, contorqueantur, quum didicerit, ut infinitæ ſiderum flammæ, quum terras nox opacaverit, cælo fulgere videantur, certum tamen ac definitum eſſe numerum aſtrorum? Sola Geometria occurrit innato hominibus tantarum rerum cognitionis amori, & ſcientiæ ſatisfacere ſola poteſt, qua omnes ducimur & trahimur ad res altiſſimas cognoſcendas, incredibilem cupiditatem explere, atque adeo earum perfectam accuratámque notitiam tradere, ut qui ſuam ab ea, tanquam à rebus incertis, aſſenſionem cohibuerit, haud ſane intelligas, cur non idem, ſol luceat nec ne, dubitare poſſit. hæc igitur, quo cupiditati hominum ſatisfiat, cælum uſque penetrat, & circum altiſſimos illos, omnia cingentes & coërcentes, cæli complexus, eodem atque aſtra motu curſuque revolvitur; neque ſolum celeri cuncta gradu pervadit, ſed tantarum etiam rerum ordinem, numerum, motus, magnitudines, intervalla, brevibus demetata circumſcriptionibus, & infinitam earum magnitudinem anguſtior bis ſpatio comprehenſam, cælo digreſſa hominibus defert; deinde quum jubetur, terras omnes mariaque perluſtrat, neque terra, undique in ſeſe nutibus ſuis conglobata, ſoliditate ſua eſt illi impedimento, quo minus ad ejus ultimum uſque centrum permanet, iterumque ſub terras evadens, diametri longitudinem, mire dimenſam, exportet: depreſſos in immenſam pene altitudinem ſpecus ingreditur, quantaque ſit cujuſque altitudo, talium rerum ſtudioſis certa atque evidenti ratione demonſtrat; ut jam nihil interrumpat, quo labefactari tanta ejus contentio poſſit, non ſtrata ſupra terræ ſuperficiem maria, non ſaxorum aſperitates, non impendentium montium altitudines, immenſitateſque camporum, non ille, qui fuſus prope immenſas cæli regiones occupat aër, expeditæ ejuſdem velocitati moram ac tarditatem afferat, quin protinus cuncta per-

lustret, tibique perfecte descripta atque dimensa, ut dissentire non possis, objiciat. Quas tu igitur corporis voluptates, quas animi oblectationes, tantarum rerum varietati & scientiæ anteferendas putes? quid non modo non comprehendere animo, sed ne suspicione quidem possimus attingere, quod majorem in se delectationis vim contineat, quam hac una, ut ita dicam, comite ac socia, commorantem hic adhuc in terris animum, mortalium membrorum laqueis irretitum, humanitatis pondere depressum, aliquando tanquam è custodia corporis evolare, seque ad illas occultissimas præstantissimasque cælestium corporum naturas contemplandas, motusque pernoscendos, erigere, & tandem eorum perfectissimam scientiam, ex altissimo cæli domicilio deductam, cum hominibus communicare? quæ nam contingere gravior oblectatio potest, summo ingenio & doctrina viris, quam vastissimas illas immensorum orbium moles, quarum infinitam vim & magnitudinem, non modo nullius scientia complecti, sed neque cujusquam mens & cogitatio capere posse videatur, incredibili velocitate percurrere, quasi manibus contrectare sæpissime, easque ad arbitrium versare? quid jucundius, quam inclusum domo, nullo sumtu, nullo incommodo & labore, vel stantem, vel sedentem, in summo otio & tranquillitate, uno ad summum die, omnes terrarum oras obire, quarum vix minimam partem, per omne suæ vitæ tempus collustrare quam plurimi, urbes & provincias peragrando, vel maria transmittendo, potuere? tanta ac prope incredibilis hæc voluptas est, ut viri plerique doctissimi ac sapientissimi, quemadmodum etiam de Archimede accepimus, evocati à corporis sensibus, quum, Vrbe ab hostibus capta, cuncta, mulierum ac puerorum lamentationibus ululatibusque, perstreperent, quum omnia planctu tumultuque replerentur, quum per omnes ordines ætatesque victoris crudelitas ac licentia grassaretur, quum subditis ignibus flagrantia tecta incendio personarent, quum jam in eorum domibus versarentur armati, quasi obstructis illa dulcedine auribus, quæ ex jucundissima orbium aut signorum cælestium, vel terrestrium regionum, descriptione instillabatur animis, nullam plane vocem, nullum omnino sonum,

num, in tanto armorum ſtrepitu atque tumultu, percepe-rint. Nollem, in recenſendis ſingulis voluptatibus, quæ ſemper ex præſtantiſſimæ hujus artis ſtudio, tanquam ex uberrimo quodam fonte, tam large & tam munifice flu-xerunt, nimius vobis videri, quum præſertim ad alterum caput, ſcilicet utilitatis, quod maxime rem cauſamque continet, quemadmodum ab initio propoſuimus, feſtinet oratio. De qua ut breviter pauca dicamus, quæ ſunt, Deus immortalis, in hac præclariſſima facultate atque ho-minum generi perneceſſaria, utilitates! quæ opportuni-tates ad aliarum non mediocrium artium, ſed plane ma-ximarum, cognitionem! quas, cæſis undique vepribus, exuſtiſque dumetis, vias, quam faciles, quàm promtas, quam expeditas, ad illam laudandarum artium omnium procreatricem quandam & quaſi parentem Philoſophiam properanti ſuppeditat! ut jure quidem maximo Philoſo-phorum longe omnium princeps graviſſimus ac præſtan-tiſſimus Plato, in diſciplinam ſe tradentes ſuam, ſi Geo-metræ iidem eſſent, ſummo ſtudio amplecteretur, nec injuria à ſe, tantæ hujus facultatis expertes ignaroſque, repelleret, & tanquam ad id, quod profiteri vellent, mi-nus idoneos, neque eo unquam, quo curſum intendiſſent, perventuros, ab omni doctrina, atque adeo à ſui Gym-naſii aditu veſtibuloque, excluderet. Etenim, quid cele-rem magis cogitationis motum impellere, quid aciem mentis ſubtilius exacuere, quid etiam maturius, torpen-tem animum, ſeque rerum humanarum curis advolven-tem, poſſit ad exquirendas rerum cauſas excitare? hæc præparat animum, ut agrum, non ſemel proſciſſum, ſed novatum & iteratum, ad pulcherrimos ſapientiæ quaſi ſatus accipiendos, hæc ſe veritatis indagandæ, in tanta opinionum diſcrepantia, in tanto ſententiarum quaſi con-flictu, in maxima rerum ignoratione deliteſcentis, quaſi ducem & magiſtram profitetur, ſeque, in tantis tenebris erroris & inſcitiæ, clariſſimum lumen præferentem of-fert advenientibus. hæc, cum ceteræ fere artes nullo do-cente arripi poſſint, ſola, propter rerum obſcuritatem, ſubtilitatem, multiplicitatemque, doctoris induſtriam ſolertiamque deſiderat. hæc, ſi Pythagoræ credimus, ja-ctis quaſi gradibus, ad ſummum intellectionis acumen,

tutum parat aditum, & lenem ſtruit aſcenſum. ſi denique impellere ad ſpem beatitudinis certam nitentium hominum vota, ſola Dei cognitio poteſt, nemo ſane unquam, niſi Geometra, plane beatus exiſtet; cujus ad hoc præſertim ſtudium incitatur, atque ardor impellitur, ut Deum immortalem ſubtiliori ratione inveſtiget atque perquirat, inveſtigatum & inventum indicet in vulgus, eique palam colendum venerandumque proponat. Iam vero, ſi mente conſilioque divino omnia, quæ ſunt in mundo, ad ſalutem omnium conſervationemque admirabiliter administrari cogitemus, ſi contemplemur animo, genus hominum univerſum, extremis terrarum oris, tanquam mœnibus, comprehenſum, velut magnam quandam urbem incolens, quam nos orbem terræ vocamus, Dei poteſtate atque ſapientia gubernari, qui judiciis conſtitutis, legibuſque deſcriptis, recte factis præmia, peccatis ſupplicia, decernat; quid aliud ex tot ab illo affluentibus bonis, hoc uno genus hominum large magis effuſeque rigare, quid inter illius maximas infinitaſque virtutes, tanquam ſidera ardentia, Geometricæ rationis ſplendore clarius elucere atque emicare videbitur? neque ſummopere Plato non laudandus in eo, quod, incredibili Dei providentia atque ſapientia, qua quidem univerſum mundum regit, animadverſa, optimeque perſpecta, harum rerum effectorem & conſervatorem Deum γεομετρεῖν, hoc eſt, in hoc Geometriæ ſtudium incumbentem, appellare non dubitaverit; ut ex hoc credi facile poſſit, præſtantiſſimam hanc, ſive cæleſtem potius, diſciplinam è ſuperno illo ſcientiarum fonte deductam, ad hominum cœtus defluxiſſe ac perveniſſe. nam quum virtutem, non minus ſtulte quam impie, nemo ex veteribus unquam Deo acceptam retuliſſet, quod, quum propter virtutem jure nos laudari & in virtute recte gloriari putarent, nunquam id poſſe contingere exiſtimabant, ſi id donum à Deo, non à nobis, haberemus; ſolam tamen Geometriam tanto ceteris virtutibus præſtare, fere omnium erat opinio, ut crederent, tantam hanc, ac pene divinam, à Deo petendam, non à ſe ipſo ſumendam eſſe virtutem, nec aliquid noſtræ laudi aſſumtum arbitrarentur, ſi egregiæ facultatis hujus originem à Deo duci, omni remota dubitatione, con-

ne, concederent. quis inventus est unquam diis hostiam vovisse, si justus, si temperatus, si sapiens effectus esset? at Pythagoras quum in Geometria quiddam novi invenisset, Musis bovem immolasse perhibetur à multis; quod profecto contra judicium omnium mortalium non fecisset, nisi præclara ejusdem inventa, tanquam dona cælestia, Deo immortali tribuenda existimasset. Verum, quid in eruendis colligendisque utilitatibus maximis ac necessariis, quæ latent in intima ratione Geometriæ, tantopere laboramus? quid ea re utilius esse, quid hominum generi fructuosius, potest, cujus consilio atque prudentia inter se homines civili conciliatione & societate conjungi, & mundum omnem administrari, confiteamur? quando non ejus semper, maxime in legibus condendis, & in Rebus publicis ordinandis, à summis & sapientissimis viris habita ratio est? sine qua certe illa Iuris æquabilitas, quæ in tribuendo jus suum unicuique versatur, cujusque notitia, maxima atque præcipua Iustitiæ parte, continetur, ne intelligi quidem, qualis sit, ullo modo posse videatur. Quid? non ne Lycurgus, vir ille summa prudentia atque sapientia præditus, qui Lacedæmoniis jura legesque præscripsit, quum Arithmeticam analogiam, falsis criminibus accusatam, quippe communem urbis perniciem, Rerumpub. pestem, & ad turbas maximas excitandas sane nimis aptam, condemnasset, à gubernaculis civitatum repulisset, & tota à Lacedæmone procul amandasset, Geometricam proportionem, tanquam utilissimam, & moderatæ atque legitimæ paucorum potentiæ accommodatam, ea in civitate retinuit, atque arci justitiæ, fortunis omnium tuendis, omnique Reipub. administrandæ, summo cum imperio ac potestate præfecit? equidem, qui potest in illa parte justitiæ, quæ pœnas & præmia constanter pro cujusque meritis & dignitate distribuit, medium illud quod est nimium inter & parum, quod æquum appellatur, indagari, nisi hac Geometrica ratione adhibita? sine qua in tantis tenebris, quodam quasi lumine destituti, à recta æquitatis via facile declinaverimus, eive, cujus extant maxima in Rempub. merita, minorem fortasse quam ei qui non æque de eadem meritus sit, gratiam retulerimus. hinc graves in Repub.

 quere-

querelæ, hinc criminationes existunt, hinc tumultus sæpe maximi, hinc seditiones turbulentissimæ excitantur, si, par virtute, non paria quoque præmia reportet, &, rebus gestis ac gloria superior, æquo cum inferiori jure tractetur. Non ne, quum omnis Respub. è Solonis sententia duabus rebus, pœna & præmio, contineatur, si, quum de iisdem referendis agatur, non adhibeatur in consilio Geometria, si rationi ejusdem illudatur, si per contumeliam abjiciatur, & in scholas Mathematicorum, in Philosophorum disputationes, tanquam in pistrinum aliquod, detrudatur & compingatur, virtutis extinctio, & Rerumpublicarum strages ac ruina, consequatur necesse sit? Veniant igitur hujus sermonis irrisores, & simul illud doceant, quemadmodum sint pœnas & præmia, quæ meritis cujusque respondeant, largituri, nisi rationes illorum, qui pœna vel præmio digni sunt, seorsum à pœnis præmiisque posuerint, & inita subductaque ratione effecerint, ut, quæ fuerit rerum dividendarum inter se ratio comparatioque, eadem sit eorum, quorum gratia adhibeatur? ut præclare dixerit Aristoteles, ejusmodi jus omne ex quatuor minimum constare debere; nam, quod æquum est, alteri sit æquum oportet: at quod est in proportione positum, minimum in quatuor versari didicimus: si enim similitudo minimum est duorum, ergo proportio, quum sit similitudinum comparatio, ad quatuor usque progrediatur necesse est. Verum, ut rem satis explicatam exemplis quoque ex Romanorum jure depromtis illustremus; si, re duobus ab Imperatoribus bene gesta, quorum alter collatis signis infestoque agmine cominus hostem invaserit, &, egregia edita pugna, ingenti ad extremum cæde prostraverit, alter vero, bellopraedonum vel fugitivorum exultantem vana spe hostem, nullo certamine inito, sola nominis fama depresserit fugaveritque; si, inquam, ob hæc talia in Rempublicam merita, de honoribus utrique illorum decernendis in senatu referatur, quæraturque, qualis hic honor singulorum meritis aptus habeatur, ne aut uni debito minor, aut alteri justo major laus, deferatur, sed suum cuique pro dignitate reddatur; duci recte ratio sic poterit: Quam habet rationem prædonum victor vel fugitivorum ad victorem hostium,

hostium, eandem habet civica corona ad triumphalem, ut igitur debellator hostium ad triumphum, sic prædonum victor ad ovationem; justum igitur erit in partiendis honoribus statuere, ut, qui hostem nullo fere negotio devicerit, ovans, qui autem plurimos labores susceperit, vitæ discrimen adierit, in medias peditum atque equitum turmas irruperit, nec magis ducis quam militis munera exsequens, vulnera etiam exceperit, opimis hostium spoliis onustus, bellicis laudibus abundans, rerum gestarum fama perspicuus, curru sublimis in Capitolium ascendat. Et quemadmodum ei qui recte factis præmia sit daturus, ita etiam ei qui sit supplicia peccatis constituturus, eadem erit via progrediendum: Si, decurione pœna relegationis affecto, in quæstionem venerit, quo loco atque ordine habendus sit filius, post patris relegationem ortus, sed paulo ante conceptus, an debeat propter ejusmodi causam ordine decurionum amoveri & à spe magistratuum ceterorum consequendorum excludi; vel, si de pœnis ob delictum imponendis agatur, an fustibus castigari, & in metallum dari tanquam plebejus possit: sine dubio hac Geometrica ratione cavebitur, ne patris perversitas improbitasque aliquod innocenti filio negotium periculumque facessat. ratio enim effici, concludique potest hoc modo: Quæ ratio est senatoris filii ad pœnam deportationis, eadem est filii decurionis ad eandem; quum senator & decurio eandem inter se proportionem comparationemque habeant; at senatore natus, & ante damnationem conceptus, nullam contrahit ex paterna ignominia turpitudinis notam; neque igitur quidquam decurionis filio patris damnatio nocere debebit; dicendum igitur erit, eundem, eadem prorsus benignitate, ut senatoris filium, intuendum. Qua nam demum alia ratione, sublata hac Geometrica, recte dividi hæreditates inter liberos possunt? necesse enim erit, aut plus ad alterum pervenire quam per tabulas testamenti liceat, aut alterum debita testamento sibi portione fraudari. si enim ita à testatore scriptum reperiatur esse, ut, si filius sibi post mortem nasceretur, ex besse hæres esset, si filia, ex triente, uxor vero reliquam hæreditatis partem acciperet, & filius & filia nati sint; quid hic faciat

ciat judex? nonne, tantis divisionum tenebris, Geometricæ proportionis lumine occurrat? nonne totum assem in partes septem distribuat, ut quatuor ex illis filio, uxori duas, filiæ unam tantum partem, assignet? ita enim, quemadmodum Iulianus ait, secundum voluntatem testatoris, filius altero tanto amplius habebit quam uxor, uxor vero, altero tanto amplius consequetur quam filia. quæ enim est similitudo filii ad uxorem, eadem est uxoris ad filiam, scilicet dupla; at filius capere altero tanto amplius debet quam uxor; æquum igitur erit, uxorem duplum ejus, quod filiæ debeatur, accipere: quæ profecto divisio ut recte fiat, totus erit assis in septem partes distribuendus, & filiæ una, uxori duæ, filio quatuor assignandæ. Quid multa? Quot sunt optimæ & salutares civitati leges impositæ, totidem extant singularis Geometriæ utilitatis, ejusdemque præstantiæ, gravissimi & laudatissimi testes. Quot jura populis descripta reperiuntur, totidem etiam voces pæne exaudiri videntur, quæ, ejusdem ductu & auspiciis, ad augustissimum & religiosissimum justitiæ templum, ad intimam æquitatis sedem ac penetralia, perveniri contendant. Quare, si nihil nobis ad delectationem jucundius, nihil ad existimationem honestius, ad vitæ fructum optabilius, ad rerum cognitionem aptius, ad Reipubl. gubernationem utilius, ad beatitudinem vitæ salutarius, potest accidere; quis, ut ita dicam, voluptatis amator, quis rerum divinarum, humanarum, causarumque quibus hæ res continentur, scientiæ appetens, quis juris legumque studiosus, quis beatitudinis avidus, quis Reipubl. gerendæ atque orbis terræ gubernandi, quis fere laudis cupidus adolescens, non omnem sibi operam, curam, studium, in hac una disciplina, omnium maxima, sibi comparanda, defigendum esse putaverit? Quamobrem pergite, ut facitis, adolescentes, & in id studium, in quo estis, incumbite. Quanquam non tam vos oratione mea cohortandos, quam summis laudibus efferendos existimo, quod jam tantam sitis facultatem adepti, ut brevi sperandum sit, fore, ut ex hac nostra schola tanquam ex equo Trojano, plures optimi clarissimique viri prodeant, qui vel ad summam sapientiæ laudem consequendam, vel ad juris scien-

ſcientiam illuſtrandam, vel ad Rempublicam capeſſendam, ſumma cum laude & Reipublicæ Chriſtianæ utilitate, ſe conferant. Interim vos oro obteſtorque, ut me, propoſitum vobis πρόβλημα explicantem, attente, ſicut facitis, audiatis.

ORATIO IV,

AD ADVOCATOS CONSISTORIALES.

ET ingenii mei tenuitas P. A. & breviſſimæ ejus temporis anguſtiæ, quo mea continetur oratio, omnem prorſus mihi ſpem adimit, non modo beneficii veſtri, aliquo ſermonis genere adæquandi, ſed prope ejuſdem recenſendi; quod, ſententia quidem mea, ex ſe tantum eſt, ut, ſi mihi dies ipſe ad dicendum daretur, ſi ſumma quædam celeritas ingenii, dicendique copia adderetur, nunquam tamen vim ejus maximam complecti verbis perinde poſſem, ut mecum ipſe cogitans ſentio. ita plane fit, ut in voluptate doleam, ex ingenti quodam immenſoque campo meam in accepto à vobis beneficio exornando gratulationem, in exiguum ſane temporis gyrum eſſe compulſam. Etenim nihil mihi accidere poterat, vel hoc tempore optabilius, vel in hac mea ætate honorificentius, vel ad eam, quam de me ipſo opinionem concitaſſem, non modo confirmandam, verum etiam augendam, præſtabilius, quam, confecto laborum & ſtudiorum meorum curriculo, eam laudem, judicio veſtro graviſſimo & maximo, mereri, quæ ſummo ingenio & doctrina viris debeatur. qui enim honor deferri cuiquam poteſt, ex quo plures afferri hominum generi utilitates poſſint; quam ſapientiſſimorum hominum ſententiis dignum pronunciari, qui opem ferre ſupplicibus poſſit, excitare afflictos, dare ſalutem, patriam, vitam, exiſtimationem, bona, atque fortunas, ſuis civibus conſervare? quid homini prudenti jucundius eſſe, quam, in altiſſimo

tissimo gradu sapientiæ, quasi tabernaculum vitæ suæ collocare, habere domum suam refertam civium optimorum conventu atque frequentia, ad quam tanquam ad aram æquitatis justitiæque confugiant, postremo ea sapientia præditum censeri, nullæ ut sint tam afflictæ innocentis alicujus hominis fortunæ, quæ fidei ejusdem atque prudentiæ tuto committi nequeant, nec tam perdita caussa, quæ non ejus digna patrocinio videatur? quid denique homini ad claritatem amplitudinemque aptius existere, quam, omnium vestrum suffragiis, in numerum illorum pervenisse; qui recte judicentur posse administrare Rempublicam, in summis honoribus cum dignitate versari, civitatibus mores, leges, atque jura describere? Me igitur hodie P. A. qui neque mediocri aliqua doctrina valeo, neque in hoc publicum industriæ & eruditionis meæ discrimen, tantum ingenii, quantum vobis fortasse videatur, attuli, universus vester hic ordo in hoc celeberrimo gymnasio, duce benevolentia in me vestra, assentientibus cunctis, referente amplissimo viro, Decano vestro, præclaris hisce adolescentibus, quorum corona circundor, incumbentibus omnium plane suffragiis, in numerum Iurisconsultorum intulit, atque eum in locum, plane una voce, prope omnibus suis viribus, coëgit. At cujus, quæso, me disciplinæ doctorem & interpretem vestris sententiis pronunciastis? ejus nimirum, quæ una, artium reliquarum cognitionem & scientiam complexa sit, quam qui profiteatur, non debeat ab omni doctrina rerumque majorum notitia procul abesse. Atque ut, ex his infantiæ meæ quasi nubibus, se aliquis saltem ardor vestrorum erga me meritorum exprimat, simulque mea vox hodie, tanquam in possessionem Iurisprudentiæ pedem ponens, officio functa doctoris videatur, liceat mihi breviter P. A. ejus definitionem, ad id quod volumus demonstrandum, usurpare. Iurisprudentia, ut definivit Iustinianus, nihil est aliud, nisi divinarum atque humanarum rerum notitia, justi atque injusti scientia. Si illam, inquit Imperator sapientissimus, præclaram & eximiam speciem Iurisprudentiæ & pulchritudinem adamatis, si præclaræ ejus artis ad summa contenditis, plura vobis sunt necessaria adjumenta doctrinæ; non paulum vobis ali-

quarum

quarum artium minimarum degustandum, sed, quidquid divinarum humanarumque rerum reconditis in artibus versatur, hauriendum; non rudis & adumbrata è singulis quibusque cognitio petenda, sed omnium rerum, virtutum, officiorum, omnisque naturæ, quæ mores hominum, quæ causas rerum, contineat, origo & vis comprehendenda est. non habet hæc præclarissima omnium virtus definitam aliquam regionem, cujus terminis septa teneatur, sed prope in immenso omnium disciplinarum campo excurrit; non ibi habitat, ubi qualis qualis unius aut alterius rei notitia, tanquam seclusa aliqua aqnula, teneatur, sed unde ex omnibus omnium disciplinarum atque artium fontibus universum flumen erumpat. Omnia igitur, quæcunque singularum disciplinarum libris includuntur, sunt ei complectenda qui hoc se posse profitetur, aut Iuris scientiæ nomen relinquendum. E quibus liquido constat, parem vestris in me meritis posse gratiam referre, grati quidem esse optare, sed prorsus insipientis sperare. una me jubet esse bono animo humanitas vestra, quæ sane tanta est, ut simul ac vobis de aliis benemerendi datur occasio, beneficium ipsi vobis accepisse videamini. Atque hæc quidem me maxima hujus oneris parte levaret, nisi novæ mihi essent meritorum vestrorum, & eorum quidem maximorum, accessiones factæ, quum clarissimus vir, deque litteris optime meritus, Cinus Campana, princeps hujus vestri ordinis, quem omnes, & propter singularem ejus probitatem unice diligunt, & propter gravitatem, dignitatem, sapientiam, in primis colunt, ita me non solum vestro singulari beneficio exornaverit, sed suis etiam prope laudibus cumulaverit, ut neque eloquentia majore quisquam, neque gravitate, neque studio, laudari, ornarive potuerit; quas sane omnes libenter excuterem, nisi à magistris meis jam pridem didicissem, latius ingrati animi crimen manare, neque eum modo comprehendere, qui beneficiorum immemor extitisset, sed illum etiam, qui, quod alterius in se meritis leviora sua officia omnia existimaret, omne à se beneficium rejiceret. Quapropter, ne videar ejus quoque benevolentiam aspernari, voluntatem negligere, autoritatem contem-

nere,

nere, tantas illi ago gratias, quantas maximas agere possum. deinde, quæ in me laudum ornamenta congessit, depromta è sua vera & solida gloria, non ad exiguitatem exilitatemque mearum virtutum velut accommodata, sed tanquam præ se ferentia, perspectam mihi quidem, sed tamen gratam & optatam benevolentiam suam, non solum grata mihi esse confiteor, sed etiam oblata esse gaudeo; interim ea omnia, & multo quidem majora, ejus virtuti tribuo, cujus sunt propria, & unde emanarunt. nam etsi egregia est ea laus, quæ à laudato viro proficiscitur; tamen si in iis, quibus defertur, non consistit, veluti solis radius eodem unde digressa est revertatur necesse est. Postremo sic eum existimare velim, quum à vobis mei exornandi autoribus discesserim, neminem esse, cujus in me officia oblivione aliqua minus velim deleri, aut quæ in omne posterum tempus, tanquam perpetuæ illius in me voluntatis pignus, testata esse omnibus malim. Denique, ut vela contraham orationis meæ, quoniam P. A. id, quod est in me ingenii & facultatis, quæ ego sentio quam sint exigua, tam excellenti munere prosequendum esse duxistis, polliceor, quantum in posterum litteris, quantum in studiis consequi potero, me id omne ad arbitrium vestrum collaturum esse, simulque futurum apud me semper maximo in honore hunc diem, tanquam insigne muneris & beneficentiæ vestræ monimentum.

ORA-

ORATIO V,

DE

SPIRITV SANCTO,

AD

CLEMENTEM VIII

PONT. MAX.

IN acceptis beneficiis atque muneribus, B. P. non tam eſſe largitionem ipſam liberalitatemque magni faciendam, quam, large & liberaliter facientis animum ponderandum, merito ſemper optimus ac ſapientiſſimus quiſque judicavit. quis enim ad eorum æſtimationem plurimum conferre negaverit voluntatem, ad nos mire propenſam, & incredibili caritatis ardore flagrantem? etenim quamvis, conglutinata cum aliquibus amicitia, utilitates multæ & magnæ conſequantur, tamen ſi perſpicuum ſit nobis, hæc omnia vel temporis cauſa orta eſſe, ut ſit per quem aſſequatur quod quiſque deſideret, vel ab indigentia profecta, ut eadem, exigentes gratiam, fœnerentur; certe tanti non erunt habenda, quanti, ſi eſſent ab illo nobili & generoſo amicitiæ ortu, ſcilicet ab amore & benevolentia, procreata. Maxima, infinita, & incredibilia ſunt Dei quidem omnia in genus humanum beneficia; ſed, ſi divina illa caritas, qua data ſunt nobis, perpendatur, nullus adeo eorum æſtimationi locus relinquitur, ut, qui eadem non ita magna eſſe dixerit, ut nullius mens & cogitatio capere poſſit, amens ſit. Sed, ut cetera prætermittantur, quid ſane aut excogitari admirabilius poteſt, aut, quod magis inauditam quandam & incredibilem vim beneficentiæ in ſe contineat, commemorari, quid eſt, niſi Chriſtianæ fidei ſic imperantis poteſtati judicii faſces ſubmitteret, quod ſibi minus perſuadere humana mens poſſit, quam quod ſemel fide & audi-

tione

tione constantissime credendum accepit? Deum optimum maximum, filium suum, ex sua mente & divinitate genitum, sibi æqualem, coæternum, ac consubstantialem, quo optime de hominum genere mereretur, adveniente maturitate temporis, ita pro hominum salute constituisse, ut eundem acerbissimis pœnis addixerit, turpissimæque morti devoverit; ita ut eundem ipsum tanti muneris autorem, hæc tam incredibilis beneficentia, tam inusitata liberalitas, inauditaque clementia, in admirationem adduxerit, &, quum magnitudine beneficii ac pondere premeretur, illius ex ore dulcissimo suavissimam vocem illam expresserit: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*; quasi vero, nec tantum facinus incipi, nec cœpto fastigium imponi, nisi amoris impetu jubente atque cogente, potuerit; ut nec ullius apud Deum autoritas plus valuisse, nec imperium eidem impensius prope vim attulisse videatur. atque adeo primæ partes, in hoc humanæ redemtionis opere, Dei in nos amori tribuuntur, ut, si quis totum hoc beneficium ab ea caritate, à qua prorsus emanavit, sejunxerit atque distraxerit, si quis polluto ore atque nefario, in divinam ejus hypostasin, hanc verborum contumeliam intorserit, non modo in eo nullam utilitatis causam habiturus sit, sed etiam damni rationem maximam inventurus; quumque maximis calamitatibus adductus ad aram Crucis Christi confugerit, non tam sibi spem aliquam salutis & veniæ in ejus ope constitutam esse persentiet, quam exitii & damnationis reatum, ab illo eodem fonte derivatum atque deductum, intelliget. nam, qui dixerit verbum contra Spiritum sanctum, *non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* quum enim solus obstructam ad divinam clementiam nostris sceleribus viam patefaciat illustrem atque latam, neque modo inclinantem ad severitatem Deum inflectere, sed etiam adducere ad misericordiam possit; omnem divinam opem à se abdicat, qui defensori suæ salutis acerrimo obtrectare sit ausus, illudque propugnaculum à sua defensione repellere, quo resistente omnes frangi adversariorum impetus possint. ab ipso enim, quemadmodum Leo summus Pontifex ait, est advocatio Patris, ab ipso sunt lacrimæ,

ab

ab ipſo ſunt gemitus ſupplicantium. Quum igitur admirabilia & infinita Dei munera, amoris pondere, penduntur, ſi ſuperiora omnia, quod ea de Spiritu ſancto fluxiſſe compertum ſit, nullum nobis in æſtimando finem reliquiſſe judicabuntur, quis erit modus æſtimationis in eo, quod hodie Eccleſiæ univerſæ large effuſeque donatur? non jam amplius beneficia, à divina caritate prodeuntia, ſed divinam ipſam caritatem accipimus; non delapſa è cœlo munera colligimus, ſed eundem ipſum datorem munerum adipiſcimur; non rivuli quidam amoris funduntur in homines, ſed fons ejuſdem & origo, divina ad nos liberalitate, perducitur; ut, quum jam reliqui nihil eſſet, quod quidem in cælo, tanquam in arca divinorum theſaurorum, reconderetur, quod non totum Dei amor transfudiſſet in hominem, omnem plane modum liberalitatis excedens, ipſum ſe tandem habendum, poſſidendum, fruendumque, præbuerit. Quapropter muneris & munificentiæ iſtius largitas in eam latitudinem immenſitatemque protenditur, ut mens hominis & cogitatio, infinitum ejus prope campum excurrens, nullum plane exitum, in quo terminetur, inveniat. Sunt Dei quidem omnia quæ adhuc extant in genus humanum beneficia, maxima, ſingularia, & late patentia, ne ab illis quidem mentibus ab omni concretione mortali ſegregatis comprehendenda; ſed hodierni beneficii vis tanta propemodum eſt, ut ejus magnitudine ac lumine reliqua fere omnia pæne obrui obſcurarique videantur. Etenim illa, quamvis clariſſima, quamvis admirabili luce prædita, in Chriſti mortalitate, velut in aqua, perobſcure intuebamur; itaque ea nemo conſpicere reformidabat, ut aliquo ſaltem modo earum ferre lucem poſſe oculis videretur; hoc autem tanta undique eſt luminis claritate perfuſum, ut, quovis illud cogitatione tanquam oculis circumſpexeris, aciem animi perſtringat, & mentis quaſi luminibus officiat, ſplendore magnitudinis & gloriæ. Verum, quum diximus, principium omnium bonorum uberrimo ſancti Spiritus fonte contineri, efficitur, ex eodem ut plures utilitatum maximarum rivuli, tanquam à ſuo capite, deducantur, quos omnes conferat in illius animi fructum, cui ſemel inſederit. de quibus quum ſingula-

singulatim dicere infinitum sit, leviter quosdam oratione mea perstringam. Hujus primum singulari munere, qui spirituali prius vita privati erant, fractis adamantinis mortiferorum scelerum vinculis, in interruptæ, letali peccatorum tabe, veteris vitæ initia revertuntur; cujus quidem beneficii, quod eo tota nostræ salutis ratio contineatur, tanta est dignitas magnitudoque, ut merito inter mirabilia Dei opera primum numeretur. quid enim videri admirabilius potest, quam, destitutos luce & spiritu animos, qui horrendum angelis spectaculum fecerant, jacentes erigere? quid stupore hominum dignum est magis, quam eos ipsos, qui Deo nauseam moverant, odoris teterrimi intolerabili fœditate, cujus ira pestifera & intoleranda natura est, ut, si capi corporis sensibus posset, neque intra illud turpe flagitiosi corporis bustum, ne efflaret, cohiberetur, animalia omnia necaret, maxima odorum suavitate complere? quid est, in quo divina potentia progredi ulterius possit, quam projecta cadavera, quæ non modo vermium & rerum omnium spurcissimarum turpissimi recessus erant, sed immanium quoque ferarum, anguium, draconum, Dæmonum, impurissimæ latebræ, nobiliori vitæ reddere, & ex aridis quasi sarmentis, amputatis à vite, & perpetuis apud inferos ignibus ad exardescendum addictis, in eam arborem, unde exsecta erant, inserere, ac pæne iterum in spem cælestis regni producere? Neque ejus hæc tam prodiga ac liberalis, divina nobis munera largientis, effusio, in peccatoribus exornandis, hosce, quamvis latissimos, suæ beneficentiæ campos finesque præscripsit; etenim, quos, ad extremum non modo infelicitatis atque miseriæ, peccati regnum adduxerat, ex mortis faucibus ereptos reducit in vitam; &, depulso à cervicibus illorum nefario servitutis jugo, vindicat in libertatem filiorum Dei. non solum flagitiis omnibus contaminatos, omnique cœno turpitudinis oblitos, detersis sordibus expurgat; sed contractas à sceleribus maculas in eam speciem pulchritudinemque convertit, ut, ejusdem quasi lenociniis, ita Dei ad se amorem alliciant, ut cælum prope fastidiens, quasi in altissimis illis ac beatissimis domibus, vel in hac infelicissima & humillima valle miseriarum, nullus præter unum

unum hominem locus reperiri potuerit, vel ad delectationem jucundior, vel ad requiem opportunior, suam in illos sedem transferat, æterna, nisi prius ab illis repudientur, cum eisdem hospitia conciliet, sempiternam & indissolubilem amicitiam connectat, dulcissima colloquia habeat, maxime illorum similia, quibus beatas cæli mentes ineffabili jucunditate lætitiaque permulcet, demum omnes sibi esse cum illis voluptates atque delicias perpetua deinceps cohabitatione & individua vitæ societate, significet. O vere beatum illum, cujus pectus sedes est divini amoris suavissima! poterit ne hic non beatissimus esse, cujus ille domicilio pectoris contineatur, ad quem, tanquam ad fontem, summa cæli felicitas, nullo interrupta labore voluptas, æterna beatorum gaudia, referantur? poterit ne hic, in tanta cælestium divitiarum affluentia, laborare inopia; vel mærore affici, circumfluentibus eum undique, dulcedinis immensæ, infinitæ lætitiæ atque æternarum voluptatum, quasi fluminibus? Verum, quid est quod tantopere admiremur, quum legimus aut audimus, effervescentem animum divini amoris incendio, & pæne eadem qua Deum vita viventem, tantam habere pulchritudinem, ut nulla species ne excogitari quidem possit ornatior, eosdemque vibrare effuso lumine radios, & quædam quasi tela conjicere, ut semper omnium patens jaculis cor Dei trajiciant, incendantque flammis, in illius amorem ardentibus; quum ob Dei familiarissimam conjunctionem Deus quasi alter existat? David enim, Dei amicos, deos sæpius appellare non dubitavit. quum enim id, quod bonum vere appellatur & est, ea vi præditum sit atque natura, ut, tanquam angustis terminis comprehensum, ipso se contineri nequeat, nec quodammodo inhiberi, quin exiens à se, & tanquam à sua sede digrediens, migret etiam in alios, seque totum illis adjungat; nihil certe repugnabit, quo minus Deus, ex Basilii sententia, qui summum bonum est, suam cum illis, quos unice diligit, speciem, lumen, sapientiam, bonitatemque communicet. quod si fere paulatim fit, ut ad illius morum societatem traducamur, quo cum vivimus, cur non frequens Dei usus in sui amicissimos speciem quandam divinæ illius bonitatis expresserit? cur felix

ille animus plane divinus non fiat, qui vinculo consuetudinis ita Deum arcte complexus est, ut jam nihil possit esse conjunctius? Si sole repercussa nubes, ejus item ardore conflagrat, vel si speculum, aut quævis perlucida res alia, solis quoque radiis accensa, ita ejus luce coruscat, ut par soli splendeat, aciem oculorum perstringat, lumen longe lateque diffundat, nos, tanquam re aliqua omnem excedente fidem intellecta, mirabimur, audientes, animum, vitiorum suorum maculis purissimo Christi sanguine ablutis, si in Spiritus sancti lucem incurrerit, mutuatis ab eo radiis, divina prorsus caritate fulgere? Sed hoc tam singulare beneficium alia etiam amplissima ac præclarissima munera consequuntur. O Sanctissime ac beatissime Spiritus, quid profecto sine te vita hominum esse potuisset? quis tantis errorum tenebris cæcisque nubibus & procellis inclusam Dei notitiam haberet, si non illam in veritatis lucem proferret, &, disjecta caligine, tuæ lumen claritatis accenderet? quis animi nostri robur, miserandum in modum clade à peccatis accepta fractum & debilitatum, ad cupiditates edomandas, ad reprimendos impetus vitiorum, ad resistendum Diabolo, confirmaret, nisi tua idem virtus cælestibus auxiliis corroboraret, & adversus omnes spiritualium inimicorum insidias tot virtutum præsidio tantoque comitatu muniret? Tu mederis animis, solicitudines detrahis, cupiditatibus liberas, tranquillitatem vitæ largiris, & mortis terrorem adimis. nam si quem semel nactus eris, Sancti spiritus patrocinio firmatum, ejusque custodiis vigiliisque munitum, hunc tu mortis & tormentorum minis terreto si potes; quidquid enim illi mali acciderit, non modo repugnanti, sed ne recusanti quidem, sed quid inquam recusanti? imo etiam roganti, & se sponte suppliciis offerenti, evenerit. Et erit quisquam tam stultus, qui in summa felicitate non ponat, posse cum rerum omnium effectore & moderatore Deo, hospitio amicitiaque conjungi; tam crudelis & inhumanus, qui non tantummodo ad se venientem peregrinum & hospitem, non libenti animo suscipiat, verum à se etiam per contumeliam abigat, atque contemnat? est ne credibilis tantus in ullo furor, ut, quem Deus ad tam excelsum

dignitatis

dignitatis fastigium evexerit, ut quasi Deus alter, si velit, effici possit, sic se ipse abjiciat atque prosternat, ut quadrupedibus potius quam Deo similis esse malit? fieri ne potest, ut in eam venerit contemtionem ac despicientiam apud homines perversissimos & despicatissimos divina Spiritus sancti majestas, & praeclara ejusdem munera, quae eos, qui accepere, in caelum ferunt, sic multorum aestimatione conciderint, ut, tanquam vilissima quaeque & abjectissima, proterantur & conculcentur? Quum igitur hic sacratissimus Spiritus, linguarum ignitarum specie, ad inflammanda mortalium corda, è caelo ad nos hodie sic illabatur, ut, tanquam medicus, non modo iis qui gravibus periculosisque conflictantur cupiditatum morbis, medeatur, sed ut stirpem malorum funditus eradicet & evellat, ut, tanquam doctor, nos discussis ignorantiae tenebris erudiat, ut, tanquam beneficus, Dei filios, & quod majus est, Deos efficiat; ne, quaeso, animae nostrae domicilio tantum hospitem excludamus; demus nos huic excolendos; patiamurque sanari ab eo. sic enim fiet, ut nos tandem aliquando virtutum omnium locupletissimos accipiat illis beatorum sedibus jucundissimis.

ORATIO VI, DE CHRISTI DOMINI ASCENSV. AD CLEMENTEM VIII PONT. MAX.

SAcrosanctus hic dies, P. B. quo tandem Sol ille clarissimus, qui, toto caelo luce diffusa, ereptum funesta nocte mortalium generi diem, diei lucem, luci splen-

 dorem,

dorem, restituerat, nobis obductu suspicientium oculis ademtus, per immensam cæli magnitudinem suum omne in superos lumen evexit, tristitiæ atque doloris acerbissimi facultatem nobis suppeditare quodammodo videtur. Etenim hæc plane repentina decessio, nova terris nocte circumfusis suam eripuit speciem, decoremque subtraxit. idem hic omnia splendore ornamentisque omnibus spoliavit nudavitque dies. quis jam, consolando, luctum doloremque levabit nostrum? quis in rei alicujus ignoratione versantes erudiet? quis unum dispersos in locum congregabit? Veniat nobis in mentem, quis abierit, quis discesserit. etenim, ab illo nos relictos desertosque reperiemus, qui quum sit Dei filius, ex ejusdem mente & divinitate genitus, in quem unum conversæ beatorum mentes affluentem bonis omnibus felicitatem & beatitudinem assequuntur; non satis habuit, ad nos miseros, inimicos, & divinæ severitati perpetuis pœnarum vinculis obstrictos, delabi, humanam speciem induere, nisi etiam se propter nimiam caritatem morti, non crudelissimæ solum sed etiam turpissimæ, devoveret, & reconciliaret nos Patri, meritis in genus humanum singularibus. non ne igitur is doleat, & vehementer doleat, ô bone Iesu, &, plusquam omnem deceat amicum alterius amici discessu, commoveatur, qui tua vincula, qui verbera, crucem denique illam, recordetur, quam tua hominibus singularis humanitas atque benignitas testem benevolentiæ in eos esse voluit, & reconciliatæ gratiæ monumentum? Verum hic plane regius apparatus, solemnis hæc pompa, hæc plena lætantium vocibus symphonia, communis Ecclesiæ totius lætitia, tua hæc P. B. vestis, insignis auro ac purpura, atque triplex hæc imposita capiti corona, sanctissimo auro gemmisque distincta, summam indicit universis lætitiam, &, omni expulso dolore, quasi nubium conflictu, admirabilem exprimit ingentis gaudii fulgorem. sed, quod mirandum summopere videri debet, Apostoli ipsi, qui neque à complexu ejusdem avelli, neque ad breve tempus ejus absentis desiderium pati posse videbantur, à quo ne semel distraherentur, ad supplicium rapi, atque cum eo idem prope capitis discrimen subire, magis animose quam fortiter postulabant, hoc tempore, quum,

quum, inspectantibus ipsis, non jam infra paucos dies, sed exactis omnium temporum spatiis, & completis annorum omnium conversionibus, reversurus abierit, quum id Angelorum testimonio confirmatum haberent, non dolorem modo percipiunt nullum, sed, quum se ingens intra pectoris angustias non contineret hilaritas, erumpit, seque in ore omnium atque oculis diffundit, ita ut gaudentes, lætantes, exultantesque, Hierosolymam revertantur. Quid ergo est causæ cur nobis tantopere lætandum sit? Quod multa videlicet ex hoc fonte in nos commoda redundarint. etenim, ut multa prætermeam, nostris erepta sensibus Christi discedentis humanitas, quadam quasi nube disjecta, grandia quæ latebant miracula demonstravit; atque inde prorsus abdita Christianæ fidei patuere mysteria. tum, certissimis argumentis palam factum est id, quod multis ante seculis, quibusdam velut involucris obtectum, humana mens nunquam evolverat, Christum Dei esse filium; & Patri prorsus æqualem: tum, luce clarius effulsit, tantam ac prope infinitam fuisse caritatis potentiam, ut divinam in Christo majestatem cum deterrima hominis conditione conjungeret, & geminam naturam in unam colligaret hypostasin. tunc est illis ereptus is, qui eos pertinaciter detinuerat, error, Christum, libidine dominationis impulsum, imperii cupiditate præcipitem abreptum, in has se se ærumnas demersisse; atque ea veritas insita, eundem de regalibus cæli sedibus, ac prope de sinu Patris, excussum, ut, everso mortis imperio, à nostris cervicibus servile jugum depelleretur, & depressa mortalium mens, ad spem immortalitatis certissimam, & consequendæ cælestis Regni hæreditatis, erigeretur. tunc Apostolorum in Christum amor, humanarum cupiditatum societate perpetuo cohærens, segregato divinæ charitatis incendio, quidquid intus in eo vel terrestre vel humile continebatur, velut aurum ardenti fornace, purgatus est, planeque purus effectus. nec dici propemodum potest, ad alium finem tanta divinæ mentis relata consilia, ut Christus Dominus, qui velut ignis per cuncta pervadit, suoque ambusta consumit ardore, relictis in æternis ac felicissimis sedibus, ubi, tanquam in fornace, divini amoris perpetuis

flagrant ignibus, incensis beatorum spirituum mentibus, in has ærumnas descenderet, nisi, ut adstricta frigore peccatorum durissima pectora mortalium, quas cælo extulerat, flammis relaxaret, atque ad sui ipsius speciem pulchritudinemque formaret.: quid aliud, inquit, è cælo, amore ardens Christus, in terras attulit præter ignem? quid fœdus illud iniquissimum, & insidiarum plenissimum, quod cum infestissimo hoste, sua ipsius calamitate atque pernicie, humanum genus inierat, effracturus, quid ad distrahendas oves meas quæ segregatæ à cœtu reliquarum errabant, ab illa misera & impura societate, qua perpetuo quodam vinculo se cum teterrimo monstro devinxerant, quam districtum in illos amoris gladium præportavi? hic diuturnam hominum pacem perturbabit; hic primum omnia miscebit, turbas excitabit maximas, &, spe omni compositionis adempta, rem ad certamen contentionemque deducet, eosque in libertatem filiorum Dei, facta hostium cæde, vindicabit; hic eos rursus contra bellum, quod à carnis illecebris, & ab inferiori animæ parte, collatis in unum viribus, renovabitur, satis firmo præsidio muniet; hic tandem, quod ego vehementer exopto, quodque me præter cetera unum in hos labòres impulit, evellens omnes hominis ex animo cupiditates, eundem perpetuo mecum amore conglutinabit; quæ tum erunt mihi cum illo deliciæ! quæ in ejus pectore plena requies oblectationis existet! quibus voluptatibus, quanta cum jucunditate, perfundar! Verum non illico, velut alis, ad summum divini amoris fastigium evolatur, sed illuc paulatim, quibusdam quasi gradibus, pervenitur. neque enim subito, quum posset, Christus Apostolorum animos, ejusmodi omnino amoris rudes atque expertes, expolivit planeque perfecit: sed, ut cernimus in hominibus, in arboribus, in fabrica, vel pictura, naturam, vel æmulam naturæ artem, suo quodam itinere ad ultimum pervenire, nec, simul atque producantur vel inchoentur, habere absoluti operis effectum; ita, inchoato in illis pulcherrimo amoris operi, non nisi multis antea ductis lineis adhibitisque coloribus, extremam manum imposuit. quumque horrida discipulorum pectora, divini ferro eloquii subacta atque mollita, sparsum caritatis semen exce-

excepiſſent, quaſi herbeſcere primum voluit, deinde adoleſcere paulatim, ad extremum truncos ramoſque producere, & in eam quam par eſt altitudinem pervenire. Credo P. B. pro tua ſingulari pietate ac religione, in tuis matutinis ac veſpertinis contemplationibus meditationibuſque, à te ſæpiſſime cogitatum, quanta, non ſolum induſtria, ſed prope excellenti quadam divinaque ratione, in hujus operis conſtitutione, æterna rerum omnium procreatrix ſapientia progreſſa ſit. principio, ut mortalis amor ad cæleſtem deduceretur, neceſſe prius erat, ut à ceterarum rerum conſuetudine abduceretur; atque, ut exornari planeque excoli poſſet, ex luto, in quo altius hærebat, extraheretur oportuit. quem inde, propterea quod altiſſimis implicatus terræ radicibus tenebatur, arctius quaſi nodis aſtrictus, inaudito quodam invento, & tanquam adhibita machinatione aliqua, ſingulare divinæ bonitatis officium extraxit. Eſt enim, à conſuetudine oculorum animum abducere, difficillimum, ut tantundem fere complecti mente & cogitatione poſſimus, quantum viſu, auditu, ceteriſque ſenſibus percipiatur. at vero in divinarum cognitione rerum, quippe quæ ſint prorſus ab oculis remota, vix brevi aliquo temporis ſpatio inſiſtere poſſumus, & quaſi animo peregrinari. Itaque ad aucupandos à ſe fugientes animos Deus, & per terrenas voluptates & commoda volitantes, novam quandam ejuſdem fere generis commentatus eſt eſcam, ad quam, propter ejus miram ſuavitatem, ſpretis voluptatum illecebris, undique omnium fierent maximique concurſus. Sed quæ fuit hæc tam admirabilis, bone Ieſu, conjungendæ mecum amicitiæ à te inita ratio? eo tuus in me proceſſit amor, ut tantum facinus, atque omnibus ſeculis inauditum, aggredereris, eoque niſi perfecto non conquieſceres. Etenim, ſi præcipua vis eſt amoris, ut plura, ſimul inter ſe disjuncta, conjungat, & efficiat ex duobus unum; quæ fuerit iſta poteſtas in ea, quæ naturam & conditionem non habent ut copulentur? quid eſt hominibus commune cum Deo? quæ ſocietas tibi, omnium autori bonorum, ſupernæ bonitatis origini, cæleſtis ſapientiæ theſauro, & perenni æternitatis fonti, noſtris cum ſceleribus atque flagitiis, cum noſtris luctibus atque ſordibus, intercedit?

at ego ita comparatum esse video, ut recte conglutinari amicitiæ, nisi inter æquales, non possint. nescis sane nescis, quantas vires amor habeat. hic plane, si libet, alta rerum fastigia submittit, & depressa, prope in immensum, ad cælum usque, provehit, ut ad æqualem utraque exæquata magnitudinem, mutuæ voluntatis vinculo colligentur. eo igitur hic, qui me stimulat, ardor impulit, quæque exardescit intus magnitudo benevolentiæ, ut, quo hæc conglutinatio animorum fieret, & juncta semel amicitia, communione naturæ & similitudine studiorum, perpetua foret, humana ab homine & deteriora suscipiens, divina ac præstabiliora cum illo communicarem. O magnam amoris vim! ô miram caritatis potentiam! ô abstrusum atque reconditum cunctis mortalibus miraculum, &, nisi divinitus in nostros animos se fides infunderet, prorsus incredibile! quid, non modo stupore hominum & admiratione dignum est magis, sed quod minus assequi cogitando humana mens possit, quam Deum opt. max. eundem infinitum, omnipotentem, immortalem, æternum, neque iis omnino spectabilem qui hac vita fruantur, lucis inaccessæ, lumine divinitatis, mortalitatis nube comprehenso, ut acies nostra ferre posset, se uniuscujusque facultati accommodasse, seque ipsum præsentem intuendum, os, oculos cernendos præbuisse, infinita demum potentia, quæ tantam mundi molem, nullo adhibito opere, nulla subjecta materia, sed unico tantum verbo conflavit, cujus nutu & arbitrio cælum, terra, mariaque reguntur, veluti seposita, & quadam quasi veste detracta, suscepti corporis mortalitatem, omnibus prope viribus exutam, & à cunctis derelictam, crudelissimorum hominum libidini ac potestati permisisse? Se itaque Deus hominem fecit, ut hominum sibi gratiam & amorem, arctissimo naturæ ejusdem vinculo, conciliaret. Verum, corpus illud pulcherrimum & innocentissimum tanta cum dignitate conjunxit, tanto leporis & humanitatis sale conspersit, ut, quicunque in illud ora atque oculos convertissent, suavissima quadam dulcedine deliniri, insatiabili voluptate allici, & prope, iis, qui experti non essent, incredibili jucunditate se retineri, sentirent; emanabant è perenni illo caritatis fonte, dulcedinis immensæ & in-

finitæ rivuli atque torrentes: erumpebant ex vasto illo divinæ bonitatis oceano, tanquam flumina quædam perpetuarum voluptatum, & deliciarum omnium. Illuc, inquies, animum non possum inducere, ut diligam, quod carne aut sanguine careat. placet mihi ista defensio; est enim ad communis imbecillitatem infirmitatemque naturæ facile accommodata. ad eandem ego quoque descendo; ostendam plane tibi, si mihi morem gesseris, quem diligas: dilige Christum, qui, ut te intimum haberet, mortalem figuram induere, & hoc laboriosissimum corporis pondus subire, dulce sibi & jucundum existimavit. tui generis societate delectaris? audio; corpus, quod geris, ad cælestium rerum contemplationem nitentem ac properantem animum, ad ea, quæ oculis cernuntur, vi sua retrahit, ac retardat: te in Christi consuetudinem trade; fruere ejus bonitate; dulcissimos ejus mores degusta; benignitatem & mansuetudinem experire. ita enim fiet, ut omnes tibi mundi deliciæ sordescant, illecebras libidinum omnes, in unum collatas, cum hac tanta voluptate non conferas. si enim impurissimæ hujus seculi oblectationes, si inquinatissimæ voluptates, & flagitiosissima mundi blandimenta, quum dies noctesque, tanquam assiduæ domesticæque furiæ, scelerum conscientia, quasi tædis ardentibus, exagitent animos atque perterreant, quum eadem sæpenumero cum capitis & fortunarum periculo conjuncta sint, tanta tamen perditos & flagitiosos homines delectatione permulcent; erit quisquam tam stultus, qui non intelligat, probos homines, & honestos, & à superiorum moribus abhorrentes, novo atque incredibili genere deliciarum ac voluptatum, in tanto præsertim otio ac vitæ tranquillitate, perfundi? Si teterrimus ille generis humani hostis, quo interdum mortalium profligatissimi ac perditissimi ab acerbissimo improbitatis jugo respirare possint, res turpissimas atque acerbissimas tot tantisque voluptatum illecebris atque blanditiis delinire solitus est; cur nostri amantissimum Christum, ad relaxandos piorum animos, & ad reficienda assiduis pæne laboribus atque vigiliis confecta sanctorum virorum corpora, exquisita quædam delectationum genera comparasse non existimabimus? quarum jucunditatem nec ali-

cujus oratio narrare, nec cupiditatum morbo depravatus gustus percipere, neque mens aut cogitatio, rerum mortalium curis obstupefacta, capere possit. Aperit sæpe illis, suorum non immemor, Deus cælestium deliciarum quasi fontes uberrimos, ad illarum æternarum voluptatum atque præmiorum similitudinem: excitate cæli regionibus, & ex felicissimo beatorum concilio, gaudii & suavitatis æternæ quasi rivulos. hinc illæ dulces lacrimæ, hinc illa suspiria, hinc præ nimia jucunditate liquentis animæ ignitum illud atque ardens eloquium: *Stipate me malis, fulcite me floribus, quia amore langueo.* Verum, quemadmodum erat sperandum, res maxime successit, facile omnium sibi subito, quicunque ejus humanitatem experti essent, studium ac benevolentiam allexit. Quem profecto, natura tam barbarum, quem conditione tam ferum & inhumanum, tanta offusa oculis animoque majestas atque suavitas, non ad humanitatem deduxisset? quem porro tam durum & obstinatum animum, tanta ac prope divina beneficia non mitigassent? flebiles ac mœstos, suavitate orationis lætos hilaresque præstare, inopes & rerum omnium egentes, aut stipe pauperum more emendicata aut pane divinitus multiplicato alere, fovere miseros, & quibuscunque posset viribus augere, ægros ac plane depositos sanare, surdorum aures occlusas ad vocem aperire, oculis captos ad aspiciendam lucem revocare, pedibus læsos gressu donare, vita functos supra naturæ leges ab inferis excitare, nihil omittere quod ad hominum benevolentiam novo aliquo genere beneficiorum conciliandam putaret posse conducere. etenim, vel summam & numerum beneficiorum exponere, non modo sigillatim de uniuscujusque commodo atque utilitate dicere, prope infinitum esset. commemorare possem, ingentem sæpius ab illo multitudinem, nec inopia cibi nec labore perterritam, ut ejus se suavissima oratione, & salutaris doctrinæ præceptis, quasi ex longa fame, satiaret, per desertam vastamque regionem, rebus omnibus ad humanum usum necessariis carentem, traductam. Sed hæc me lux antea & vox ipsa deficiet, si velim omnia persequi, si omnes vobis suavissimas epulas indicare; quas iis benignissimus omnium parens Christus impertitur, qui se tandem

tandem in sinum ejus recipiunt, &, tanquam adhibito saniore consilio, post longos errores ad patrias ædes revertuntur. Adstat ad Christi nascentis vel morientis imaginem provolutus in genua, qui mox à mundi nequitia in Dei fidem clementiamque transmisit, & maximam prope vim lacrimarum effundit, & simul ingenti lætitia ac voluptate perfunditur, ita ut abire totus in lacrimas, nec ab assiduis deprecationibus amoveri, aut illi flagellum, quo se sponte lacerat, eripi possit è manibus. quemadmodum enim perpetuis imbribus obrutus, atque horribili sævientis hiemis tempestate vexatus, & squallore obsitus ager, si sole redeunte, qui quasi progrediens tristitia quadam contraxerat terram, lætificetur, & vicissim cum cælo exhilaretur; tunc tepido leniter aspirantis Zephyri flatu nives, vi frigoris geluque constrictas, dissolvente, omnis ille locorum squallor cum veris adventantis nitore commutatur; tum terra virentes herbas emittit, & liquidis distincta gemmis gramina, solisque repercussa fulgore, variis incertisque coloribus mire fulgent; jam amœni ubique prominent flores, volucres profluentibus alas aspergentes undis, ad lene eorum murmur suavissimos cantus numerosque moderantur; denique ea rerum est facies, ut nec alio terra anni tempore lætiorem proferre aspectum, quam quum ex hiemis tenebris emergit, nec tantam in aspicientium sensibus jucunditatem procreare videatur, quam quum liquidissimis suffusa guttis, quasi lacrimis, placido vultu ridere conspicitur: ita etiam, simul ac, maximo ac singulari Dei beneficio, concreta scelerum frigore in peccantis pectore glacies, divinæ caritatis ardore quasi colliquefacta, diffunditur, & ab eodem novi luminis claritate cæcæ noctis offusa caligo depellitur, ad gratiæ, quasi solis, adventum, recreatum continuo illud cernas, quasi bonum atque fertilem agrum, fundere bonarum cogitationum germina, & virtutum omnium, quasi florum, jucunda varietate distingui; quos manantes passim ab oculis dulces irrigant aquæ, suavissimo quodam sensu doloris & amoris excussæ, atque eo intus efferri gaudio, ut nusquam posse consistere præ hac tanta jucunditatis magnitudine videatur: ita ut admirabilis ejus splendor

splendor pulchritudinis, Dei simul oculos moveat, & cælestium agmina mentium, nova quadam delectatione, demulceat; quippe *gaudium est in cælo, super uno peccatore, pænitentiam agente.* Verum, jacta sunt hactenus duntaxat divini amoris fundamenta; qui, ut in Christo radices egerit, adhuc tamen sub terra delitescit; cujus tanquam crassitudine circumseptus, nondum ad aspiciendam lucem emersit. terrenum est, quod te in Christo delectat. fervidum hunc ignem, qui tibi tantum excitavit ardorem, illæ propemodum flammæ conflarunt, quæ passim è Christi corpore erumpunt. rudis adhuc amor est, neque omni ex parte perfectus, sed tibi, qui, nisi mortale sapis, nihil prorsus necessarius. si desperas adhuc te ad altiora perduci, in hoc postremo caritatis gradu consiste. si potes nihil, quod non cadit sub sensum, adamare, dum te à ceteris abstineas cupiditatibus, tantas ex illo perenni voluptatum fonte delicias hauries, ut nusquam uberiores suavitatis fructus percepisse te dixeris. Hac ergo dulcedinis & jucunditatis ubertate completus, dele omnia ex animo rerum caducarum blandimenta. ut clavus clavum trudit, sic amorem amore repellas. Si tui vires amoris, earum conscius infirmitatis, periclitandas esse non ducis; si tibi deest animus, si clamorem, si castra, atque aciem reformidas, si adhuc vereris, illum in pulverem & solem, ut ajunt, educere; in hac, si non optima, at certe laudabili, Christi adamandi exercitatione & umbratili conquiescas. propterea sacra Christi nascentis humanitas, quam ex incorrupta Virginis mortalitate, tanquam ex humanæ infirmitatis humore, Spiritus sancti calor expressit, & intra virginei sinus angustias, velut in nubem, coëgit, ab Archangelo Gabriele umbra vocata est. *Et virtus*, inquit, *altissimi obumbrabit tibi.* Verum, in acie dimicantibus, subducto Christi ducis aspectu, hosti jam terga vertentibus, ad suavissimos ejus complexus, tanquam ad umbram, receptui signum cecinit Hieremias his verbis: *Spiritus oris nostri Christus dominus; sub umbra ejus vivemus inter gentes.* maximo & inusitato genere amoris prosequendus est Christus: sed, qui adhuc rei magnitudine deterreatur, qui sub sole diutius versari non possit, quod tantos non ferat ardores, umbram sequatur;

qui,

qui, ad ulteriora procedens, viæ asperitate retardetur, in Christi sinum revertatur; tum, viribus inde collectis, totus se labori & itineribus committat, ut possit eo, quo tendit, quamprimum pervenire. neque enim ei molesti admodum sumus. neque adeo iniquo cum eo jure agimus, qui nunc primum in Dei familiaritatem sese dedit, ut eum subito, omni oblectatione, ex Christo homine quæsita, spoliari velimus; quanquam optima Christiani viri ratio, professioque ipsa veri germanique amoris, plane hoc suscipere ac polliceri videtur; neque enim, qui pro viribus, quasi subditis ignibus ejus aliquem quoquo modo concepit ardorem, deterrendus, neque deserendus est à cohortatione nostra, quo majores adhuc aggerentem faces, & novam concepto semper igni materiam ad incendium inferentem videamus. Etenim, ut, adhibita in consilium conditione humanæ naturæ, ita se Deus amari facile sinat, hunc tamen à nobis amorem, etsi cum excellentiore comparatum, mancum quodammodo atque vulgarem, in suo certe genere perfectum, exigit: totum, totum, sibi postulat, neque aliud quippiam in societatem, se præter, admittit; alios sibi coram æmulos parari, indignum ipsi & acerbum videtur. jam tibi non possum, amantissime Iesu, in amore respondere; tuus enim meo amor infinito præcurrens spatio, tuis te tarde vestigiis persequendi spem mihi pæne nullam reliquit. excuso te, inquit, & licet parem, atque accepisti, non possis reddere voluntatem, tamen, quod interim offers, majora aliquando daturus, non aspernor; vix possum sine te vel ad momentum temporis vitam vivere spiritalem; patior quoque, meque à te adeo remisse amari, non moleste fero; verum, audere, invito me, quenquam ad meos amores, ad meas delicias, aspirare? hoc unum præter cetera indignum maxime puto, velle præter me quenquam in aliqua parte apud te amoris hærere; hoc nullo modo ferendum puto. manat ille quidem, de quo nunc loquimur, amor ex corde, à quo, sicuti sanguis qui fusus est per omnes corporis partes, derivatur: ita, quæ ex humana consuetudine & carne & sanguine conciliatur benevolentia, tanquam à suo capite & quasi fonte deducitur, ejus non angustum aliquem angulum, non bonam sibi partem,

partem, sed integrum Christus tradi mandavit, hoc primo caritatis præcepto, quod de dilectione Dei promulgatum est nobis, expresse ex Bernardi sententia præcipitur, *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo.* si igitur partem ejus aliquam in ceterarum rerum desideria derivaveris, si cum parentum & filiorum tuorum amore communicaveris, si jam aliquid sibi honos, si quid gloria decerpserit, si magnam sibi quoque divitiæ partem vendicaverint, si, in communione ejusdem, illecebras voluptatum obtuleris; non jam cor integrum soli Deo sacraveris, non jam totum eidem te dederis: sed pæne tui partem exiguam, in qua hærere vix possit, obtuleris. itaque justa ira excandescens amantis animus, ferens non indigne, solum, adductos sibi plures esse, ante oculos, molestissimos procos & acerbissimos hostes, principes tenebrarum harum, & vitæ hujus inquinatissimas voluptates, verum etiam in eandem domum ad flagitiosissimarum libidinum societatem intrusos; tuo protinus corde recedet, ejusdemque novis temere irruentibus cupiditatibus possessionem quasi vacuam atque caducam relinquet. ejusmodi erat, ante Christi ad felicissima cæli regna profectionem, Apostolorum amor in illum. non enim integrum solus possidebat, sed erat illi cum inani quadam eorum cupiditate communis; non totus divinæ illius humanitati adhærebat, sed magna, ut videbatur, ex parte altissimis orta cupiditatis radicibus ambitione nitebatur. trahebatur ille quidem plurimum dulcissima illius ac suavissima consuetudine, verum in ipsorum utilitates & commoda rapiebatur vehementius. eos enim, humanarum opinione dignitatum inflatos, tanta tamque immoderata libido dominationis invaserat, ut ad mortalis evecta spes regni fastigium nullis inde adversariarum rationum flatibus dejici vel dimoveri potuerit. Ecquis sane non miretur, qui vanas subodoratus illorum cogitationes, quasi ortus atque principia, acutissime non indagare cupierit, unde irrepsit in Apostolorum animis ista honoris gloriæque cupiditas? qui, ut omnia scrutetur, nunquam tamen ipsos, vel tentatos vel admonitos, sed sine duce ullo, sine indice, ad falsam de Christi regno opinionem pervenisse compererit. Etenim, cui tandem, vel

regnandi

regnandi cupidissimo, non illico imperii spem omnem eripuisset Christi ingens illa demissio animi, & in voluntaria paupertate summa rerum omnium inopia? iter pedibus ingredi, pernoctare in oratione, stipem emendicare, damnare divitias, egestatem extollere, odisse elatos, animi demissos amplecti, omnes demum illi esse de divinis rebus sermones, adeo ut in obscura Christi voluntate nullum modo illis affectati regni lumen ostenderetur, sed palam semper in omni vita singulare paupertatis studium, & humilitatis amor, effulserit. Ingens illius, non ignominiæ omnium maximæ subeundæ solum, sed sanguinis & vitæ fundendæ desiderium, & obstinatam simul illorum ad honores & imperia contendentem cupiditatem accipite. Dum Hierosolymam proficisceretur, ut viæ asperitatem sermonis jucunditate leniret, & simul illum, qui effervescebat intus, paululum exhalaret ardorem, principi Apostolorum impendentem, & jam jam in se ruituram malorum molem effunderet; ille, admodum obstupescens Christi Domini dicto, Deus meliora, inquit, ô Domine. quasi hæc tantæ de illo à se conceptæ spei non responderet oratio, ac tam illustres dedecoris & ignominiæ notæ à regiæ majestatis insignibus abhorrerent. Verum enimvero, etiamsi satis hinc cæca illorum cupiditas intelligatur, se tamen adhuc etiam manifestius in postremo Hierosolymam versus ascensu declaravit. quum enim, obortis lacrimis, tantæ fleret urbis interitum, vel propterea miserabilis, quod nec calamitatem quidem in ipsam redundaturam suspicaretur, atque adeo sibi ab omni æternitate certum atque statutum mortis turpissimæ tempus instare, ut jam jam cerneret æstuantem invidia populum furere, jam jam atrox nefariæ proditionis fœdus feriri, jam flagitiosissimas sui corporis nundinas fieri, & certam facinoris mercedem exposci, iniquissima jam conflari judicia, jam ipsum ad tribunal judicis crudelissime rapi, accusatores subornari, causam dici, virgas expediri, crucem parari, morti innocentissimum caput addici, omnemque lacero corpore carnificinam pæne subire videretur; inter hæc tantæ acerbitatis commemoranda supplicia, ambitiosa natorum Zebedæi parens, in spem regnorum erecta, inter regni proceres

ceres aſcribi filios, & in proximas regali faſtigio honoris ſedes collocari, petierit. Non poteſt animus, quem ſemel occupavit ambitio, quieſcere; neceſſe eſt, ut ſemper aliquid tale moliatur. non modo Chriſti objurgatione, à ſpe regnorum excluſi, & effundendi pro ipſo ſanguinis gloriæ deſtinati, in vetitæ ſpei cogitatione adhuc etiam revolvuntur ardentius, verum etiam in extrema illa oratione, quam, plenam altiſſimæ cujuſdam doctrinæ & dignitatis, à cœna apud diſcipulos habuit, quum ſibi vitæ finem inſtare, non neceſſitate naturæ conſtitutum ſed parricidarum ſcelere properatum, palam denunciaret, quum tanti effectorem ſceleris atque miniſtrum, non inter barbaros homines eſſe, non inter feras verſari, ſed inter eos, quos tanto amore dilexerat, quos ſibi vitæ ſocios adjunxerat, arcanorum myſteriorum participes fecerat, quos omnium gentium duces ac magiſtros elegerat, demum inter ipſos deliteſcere indicaret, quum ſe inteſtino atque domeſtico opprimi malo quereretur, quum, ſeſe morti offerens, voluntarius, extremos ſuis ferret amplexus, & mutuam præciperet etiam ſingulis, tum univerſis, caritatem, quaſi de ſumma imperii dimicantes, in contentionem principatus certamenque venere, ut ad eos motus, tam temerarios, tam præter expectationem omnem concitatos, aliqua ratione ſedandos, neceſſe fuerit omnium tunc temporis hominum oppreſſo ſolicitudinibus Chriſto, cui magnum illud opus atque difficile humanæ redemtionis in manibus erat, illi, inquam, fuerit neceſſe elatos vana ſpe animos longa cohortatione deprimere, multiſque adhibitis verbis, illam, à communi ſenſu hominum abhorrentem, veritatem, in omnium cordibus defigere; nimirum, quæ apud Deum, illum omnibus ſuperiorem confirmat eſſe, qui ſuæ voluntatis & arbitrii faſtigium, ceterorum omnium imperio poteſtatique, ſubmiſerit. Verum nulla ratione aut modo quaſi terminis ſe continere ſolet ambitio: ſed, velut multorum imbrium atque torrentium aquis, quaſi opibus, auctus amnis, ſpretis, quas intra ripas evolvitur majore vi ac mole agens undas, tumidus atque inſolens, cuncta pervadit; ita, ubi ſemel hæc egreſſa cupiditas eſt, ita ſe per latos ſpatioſoſque

sosque libidinis campos effundit, ut, irruens rapido in mentes hominum impetu, fere nullis arceri viribus possit. O graves atque tardæ, ad eundum in eam Christi, de mundi contemtu, sententiam, hominum mentes! ô dura ad excolendum Christianæ disciplinæ præceptis corda mortalium! etenim de indignissima Christi morte non audierant ab eo, qui ipse vidisset, sed eidem ipsi spectaculo præsentes adfuerant; ipsum proripi, cædi, ligari, spectaverant; impositum insontis humeris durissimæ crucis pondus inspexerant; quumque, se humana potestate omni abdicatum solum sibi cæleste regnum, in quod ipsi adoptione perventuri essent, reservasse declarasset, res ut nemini dubia esse posset, in ipso ad superos ascensu interrogatus ab illis est, num esset sub idem tempus regnum Israël revocaturus; quanto ipsi suum incendissent ardore desiderium, si in obscura Christi voluntate sibi lumen aliquod effulsisset! quam celeri repente cursu huic ne oblatæ quidem spei velificati essent, si vel levis saltem aura promissionis afflavisset! si, quum nemini unquam in suspicionem affectati regni venisset, quum non obscura solum in hoc suæ voluntatis indicia sed signa clarissima dedisset, quando summo omnium studio delatum ultro recusavit imperium, ab eoque ut à re pestifera noxiaque refugit, quasi spe certa atque opinione inflati, vela cupiditati dedere; quanto tandem studio exarsissent ad regnum, si propensæ incitatæque voluntati, aliquis etiam stimulus accessisset! Sed unde hæc tam alte radicibus actis funditus est eversa cupiditas? unde tam late fervens restinctus est ardor? hujus rei tam admirabilis causam, in qua vel maxime vis illa divina virtusque cernitur, quod narrationem illustrem magis longioremque desiderat, omitto in præsentia, & in aliud dicendi tempus rejicio. Hic itaque imbecillus, & nunc primum in lucem editus, discipulorum amor, non recta ferebatur in Christum via, in quem nimirum quosdam quasi per anfractus circuitusque concludebatur; magnus sane, sed cœnosus ac turbidus præterfluebat; non oblitus cœno, ex alvei fæce contracto, non ullis delibutus sordibus, casu aliquo adlapsis extrinsecus, sed pæne ejusmodi à suo fonte deductus, at purus & liquidus emana-

verit, nulla præter Christum admistione fucatus effluxerit. verum, si ad illius humanam tantummodo naturam revolvatur, tamen suam adeo perfectionem maturitatemque desiderat, ut, si cum excellentiore absolutoque comparetur, pæne sit nomine amoris indignus. magna profecto percipitur, & ad sensum cogitationemque dulcissima, ex Christo præsente, voluptas; sed multo etiam major exoritur ex eodem in cælum profecto jucunditas, & maximo cum fructu conjuncta suavitas. Si primus divini amoris aditus in tantam se tibi speciem & pulchritudinem offert, ut ea mirum in modum rapiaris, quid si superiores ejus domus partes aspexeris, si peristromata, si tapetia, si conchyliatas vestes, perlucidas auro gemmisque, si aulas omni prorsus opulentia confertas contempleris, si interiora ædium loca cernas, multarum rerum jucunda quadam varietate distincta, ornata signis atque picturis, instructaque rebus omnibus, qua lætitia perfruere? quanta oculos jucunditate oblectareris? nunquam ut cupidum contemplandi animum, admirabili rerum earum aspectu, posses explere. ascendendum est, fateor; dulcissimo Christi carendum colloquio. triste quidem desiderium, & ad sensum peracerbum, sed vero solidoque cum gaudio nobis jam inde venturo compensandum. Si puero, subducto à nutricibus lacte, paululum solidior cibus apponatur, dentibus ea vi conatuque carentibus, qui est ad pastus capessendos conficiendosque necessarius, flet, dolet, laborat, complet omnia luctibus, atque clamoribus; assidensque matris in gremio, assuetas appetit mammas, earum ubertate satiari desiderat; at vero ubi primum, ætate aliquantulum annorum decursu corroborata, malis robustioribus facilius extenuatos atque mollitos deglutire cibos assuescit, & eorum incipit varia & exquisita genera degustare, ipsorum tanta suavitate afficitur, ut illa prima infantium alimenta, præ istorum dulcedine negligat prorsus atque contemnat. Est profecto spirituali quasi ætati ineunti tener ille pietatis sensus, veluti lac quoddam, pernecessarius. ita enim divina providentia comparatum est, ut per gradus quosdam, quasi per ætates, spiritualis homo ad maturitatem perducatur; sed quemadmodum cibi ita sunt ætatis unius

proprii,

proprii, ut minus alteri conveniant, ita, si quis spirituali adhuc ætate confirmata in illo eodem statu reponi desiderat, quo maxime fuerat quum è tenebris peccatorum in cælestis gratiæ lucem emersit, primum nihilo plus agit, quam si det operam, ut ad incunabula & rudimenta virtutis, præcipiti fere cursu, regrediatur: deinde in maximum periculum adducitur, ne optatam sibi spiritus dulcedinem, non suggerente Deo, uberemque divini luminis copiam subtrahente, spirituali prorsus vita destituatur. Itaque, dum se magister optimus à discipulorum expediret amplexibus, illum summa vi retinentium: *Expedit*, inquit, *vobis, ut ego vadam.* nunquam enim è re ipsorum profectionem suam esse dixisset, si non suam ipsos præsentiam à maximis muneribus consequendis omnino prohibere intellexisset. maxima, ingentia, innumerabilia, à Christo assidue acceperant beneficia; ceterisque silentio prætermissis, hoc, scilicet ejus videndi & contemplandi, mihi ceteris unum admirabilius videtur. quamobrem, mea hæc tempora in tua secula non incurrisse, beneficentissime Iesu, vehementer doleo. quis enim erat, aut tam agrestis, aut tam inhumanus, qui, quum te semel aspexisset, non se maximum cepisse vitæ fructum arbitraretur? quid enim beatius iis, quibus te, omnibus semper horis, affari, prope te esse, tecum cibum capere, concessum erat; qui digni habiti sunt, qui os illud egregium intuerentur & divinæ vocis sonum audirent, cujus imperio ac potestate sæpe maris ventorumque potestates conticuerunt? maxima hæc, inquam, erant beneficia. verum, nullo alio largius munere donandi ac locupletandi erant, quam divinis Spiritus sancti muneribus; quibus ita aucti completique sunt Apostoli, ut, ab illis quasi angustiis erumpentia, in totum se pæne terrarum orbem effuderint. neque enim benignitas tanta atque largitio speranda mortalibus erat, nisi propriis beati corporis dotibus, quas dicimus, suscepta Christi eveheretur humanitas, unde cælestes divinosque thesauros, omni quidem opulentia & divitiarum copia præstantes, & quasi per quædam involucra atque integumenta nostris olim patribus ostensos, non modo propalam omnibus collocaret, sed large etiam effuseque

 donaret,

donaret. O nos in æternum miseros, si non hæc tibi tandem, scilicet in cælum abeundi, inita ratio fuisset! frustra enim, ad illud altissimum cæli domicilium, universorum vota mortalium contendissent, suos omnes frustra quilibet conatus, ad ipsum se jacentem erigendum, contulisset, nisi tu, clarissima cælo luce refulgens, ad te omnium hominum animos pertraxisses. si non ad quartum supra terram ambitum sol, princeps & moderator luminum reliquorum, cuncta sua luce compleret, nunquam vi sua, atque calore tepefactos, & attenuatos terræ excitaret, attraheretque vapores: ita, nisi Christus dux beatorum & princeps, eorum, qui per has vitæ mortalis ærumnas in illam beatissimam patriam ingrediuntur, terræ cælique magnitudinem & omnes Angelorum ordines emensus, ad Patris dexteram effulgeret; nulli patuisset aditus in cælum, neque humi defixam & carnis pondere depressam mentem paululum erigendi potestas data esset. quando enim illud maximum spiritalis lætitiæ flumen irrupisset, quo pæne toti obrueremur; nisi se palam Christus inimicissimis nobis cælo in conspectum dedisset? neque enim inflammatos quisquam ad pugnam duorum hostium animos ab armis recessisse, atque omnem memoriam injuriarum oblivione sempiterna delendam censuisse, crediderit, etiamsi compositis controversiis pax per procuratores constituta sit, & per obsides confirmata; nisi uterque populo princeps mutuis fecerit amplexibus reconciliatæ inter se gratiæ significationem, & solemni quadam cærimonia depositis armis fœderis religione sibi fidem uterque devinxerit, tum demum sedatis discordiis, ab armis discessum existimari, tum lætum pacis nuncium divulgari, militibus epulas atque congiaria præberi, omnia flammis collucere, obstrepere cuncta fulminibus tormentorum, tubarum sono, clamoribus, multitudo solet significare lætitiam. neque vero æquum erat, ut, ad faciendam placati numinis fidem, divina à Spiritu sancto munera mortalibus deferrentur, etiamsi satis Deo per Christum factum fuisset, atque inviolabile illud fœdus, ejus sanguine ictum, quod perpetuo esset duraturum, antequam humanam Christus cælo naturam inferret, quæ, ad dexteram Patris

excepta,

excepta, omnium constitueret finem malorum. tunc sanctus è cælo Spiritus se se large effudit in homines; tunc, cælestis gratiæ inopes & egentes, divino cumulati munere recesserunt; tunc ignis atque spiritus vehementis speciem visus est suscepisse, quum divinæ in nos caritatis excitaret incendium, &, de cælo viribus ad resistendum Diabolo comparatis, nos promtos atque alacres redderet, & ingenti unumquemque lætitia cælestique voluptate perfunderet. fuit quoddam tempus, ut ex antiquissimis constat sacrarum rerum monumentis, quum longa trium annorum serenitate, nullis terra est prope imbribus irrigata, ex qua repente aquarum penuria, maxima est undique siccitas consecuta: hinc primum apertis terræ faucibus depressos in immensam altitudinem specus existere, arido exustoque solo, herbas suo succo fraudatas languescere, ad extremum, emoriente terra corrumpi, spoliatis ubique florum, herbarum, frugumque vestitu, camporum immensitatibus, steriles undique inter arenas, nullam arborem, nullos terræ ornatus, nullum culti soli apparere vestigium; & quos miseræ illæ atque perditæ gentes campos antea collesque viridissimos nitidissimosque, vidissent, hos ita vastatos atque desertos intuebantur, ut, absumto æstuanti perpetui temporis ardore succo omni, quasi sanguine, tanquam horrida atque ingentia cadavera amisso spiritu jacere viderentur; deinde suspici cælum ardere plurimo igni, stellæ crinitæ, sidera cadentia, faces nocturnæ, portentaque alia, aut obversari oculis, aut vanas exterritis ostentare species, cælo terraque mortalibus extrema omnia portendi; quum tandem elapso in tot miseriis ærumnisque triennio, & hominibus illis atque nationibus afflictis & miseris, jam non salutis spem sed finem malorum exitium expectantibus, fractus est ferox & obstinatus in eorum perniciem Eliæ animus, & satis adhuc domitas effrenatas illorum ad scelera cupiditates existimans, fontium calamitates miseratus est, & fusus in preces, ecce tibi maximum, &, nisi à Spiritu sancto proditum memoriæ ac literis esset, incredibile miraculum; qui cælo nubes disperserat, disjectas idem cœpit revocare. sed primum excitata quædam è mari dicitur nubecula, æstu fatigatis allatura solatium,

in qua, reliquis velut hominis cujusdam membris obtectis, ima pedum sunt animadversa vestigia; hæc magnis repente aucta crementis, cælo obducto, largum repente imbrem excussit; quem æstu sitique confecti homines excepere, & crebris terra discessionibus quasi hianti ore captavit. sic, ubi Christus Dominus non aliena sublevatus ope, sicut Elias fuerat igneo per aërem curru, sed vi divinæ naturæ, in unam eandemque hypostasin cum humana colligatæ, recto ad cælum cursu properabat, ita nube quasi involucris obtenditur, ut vehementer cupidis contemplandi discipulis amplius aspiciendi facultas nulla fuerit, quæ decem post dies adeo copiosos erat expressura munerum imbres, ut large illis effuseque terrarum orbe rigato, mundi totius renovatio consequeretur. Denique, nisi se Christus aliquando à nostris oculis removisset, futurum profecto fuisset nunquam, ut nostræ cum eo mentes inexplicabili illo amoris vinculo conjungerentur. qui fieri potest, inquies, ut Christi aspectus, amoris sedes ac domicilium, à summa nos ejus caritate repellat? citius dixeris, divinam illam humanitatem, omni quidem suavitate refertam, non modo ad voluntates sibi conciliandas conducere, sed ad eas perpetuo in ejus amore ac benevolentia retinendas, tenacissimum quoddam quasi gluten esse debere. Verum hæc maxima in Christi carne suavitas, quæ te tantopere delectat, tantum abest ut perfectæ huic animorum conjunctioni prosit, ut sit etiam impedimento, quo ea minus existat. immo, Christum inter animumque media, ita unum ab altero separat, atque disjungit, ut conglutinari non possint. crederes, nisi experientia plane ita esse doceret, tenuissimum illum pulverem, quo interdum paries aspergitur, adeo pertinaciter contra ceram eniti, ut, hærere conantem, constantissime repellat, & eo usque pugnet, donec totus inde removeatur. qua nam alia Christus ope, nisi sancti Spiritus, nostris erat animis agglutinandus? verum, si non vel minimum à nobis ante, quemvis, erga Christum, terrenæ cupiditatis affectum excusserimus, quilibet ejusdem nobis infigendi labor eludetur; ut ipsa etiam Spiritus sancti largitio, quo omnes vel minutissimas atque levissimas affectionis particulas amovendas intelligeremus, aut sine

sine placido auræ lenis afflatu, aut valido ventorum spiritu, facta Apostolis non fuerit. tantam ille innocentiam, tantum animi nitorem, adeo eximiam singularemque munditiem, sibi beatissimus Christi amor efflagitat, ut ibi prorsus recuset esse, ubi suavissima ex Christo homine percepta voluptas princeps sit ad benevolentiam conjungendam. quod si adeo delicatus, adeo morosus est, adeo plenus suspicionis, ut in illius societatem affectionis includi tantopere recuset, quæ quamvis se se in aliquod mortale perfundat, nil nisi Christum attingit; quis tanta stultitia præditus, quis ita prorsus mentis inops atque consilii reperietur, qui existimet, ad illum descensurum esse eum, & se cum illo copulaturum, qui non levi tantum pulvere perspersus sit, sed luto, sordibus & rebus omnibus fœdissimis atque turpissimis, oblitus, ita flagret ambitione atque libidine, ut omnibus omnium voluptatum studiis in unum pectus, tanquam in unam domum, convocatis, & infinita honoris & divitiarum cupiditate, velut in uno cubiculo inclusa, quocunque incesserit, ipsum pæne iter impressum libidinis & avaritiæ vestigiis relinquat, quæque venerit in loca, erumpentium cupiditatum flammis incendat? verum non modo suam ipsius innocentiam, atque candorem eximium, cum istorum impurissimis sordibus non commiscebit, sed eorum etiam conspectum reformidabit, neque apud illum erit, à quo infinito quodam intervallo disjungitur. Iam vero alias quoque utilitates & commoda vel maxima repudiasse videbantur Apostoli, dum, illa immoderata tristitia, vim Christo adhibere, ne discederet, nitebantur. duo enim præstantissima munera, nobis prorsus necessaria, suscipiet; duas sibi ipsi personas, humano quidem generi utilissimas, imponet; alteram Patroni, summi sacerdotis atque Pontificis alteram. quid est enim tam omni populo necessarium, quam assiduæ sacerdotum deprecationes? quid, ad expiandas scelerum sordes efficacius, quid ad publicas calamitates ab hominum pernicie depellendas utilius, quam Dei misericordia atque benignitas, sanctissimis Pontificum sacrificiis atque muneribus conciliata? in omnem igitur æternitatem, ad placandam numinis iram, muneri Pontificio præerit, & ad eum Pontificem

apte congruenterque: cui non satis visum est, suam semel in hoc nobis operam, pactionis vinculo, devincire, nisi etiam eandem sacramenti religione obstrinxisset: neque solum Deus, inquit David, in id quod semel promiserat obligandæ fidei sacramentum dedit, non solum juris jurandi & ut ita dicam existimationis periculo facturum obligavit se, nunquam ut Christus inito pro nobis abdicaret sacerdotio; sed ita etiam juravit, ut nullum futurum esse tempus juraverit, quo tempore sui se jurisjurandi pœniteret. hic erit ille pontifex, qui, cum semel scelerum maculas suo sanguine detersisset, in suprema cæli regione constitutus Deo proximus, mundissimam sui corporis hostiam pro communi hominum salute ad sacrificium propositam, & in Cruce immolatam, in perpetuum pro peccatis offeret; ad cujus aspectum ut, coacta vi frigorum, glacies, solis ardore tepefacta, diffunditur, ita divina scelerum gelu constricta benignitas in largum atque copiosum munerum imbrem dilabetur; hæc pœnæ nos judicioque proripiet; hæc omnem à Deo iracundiam propellens, ut nobis temperetur, efficiet: hic denique, tanquam Patronus omnibus, vel naturæ vel gratiæ præsidiis, ita ad dicendum paratus accedet, ut, quamvis Deus, justus judex & fortis, gravissimis injuriis lacessitus, maximis criminibus violatus, capitali à nobis odio diffideat, quamvis sceleratissimi, impuri, pestiferi, supplicioque dignissimi, simul tamen ipsius vis orationis omnem nostram importunitatem ex intima ejus mente convellet. Quod si summus dicendi magister optime præcipit, idque in summa oratoris laude ponit, ut taliter quisque afficiatur, qualiter eorum animos, apud quos dicit, affici cupit; frustra enim orator, quamvis disertus, quamvis ornatus, quamvis oratoriis præceptis abundans, apud judices aut dolorem aut misericordiam aut invidiam aut timorem excitare dicendo conabitur, si non antè omnes eos motus, quos judicibus adhiberi velit, in se ipso impresserit, atque inusserit; quæ vis, qui impetus, qui ardor animi pro nobis postulanti Christo deerit? qui ut misericordiam Deo commoveret, captus est ipse antea misericordia, ut propter nullam aliam causam se in hanc humilitatem naturæ nostræ dejecerit, quam ut simul in miseri-

misericordiam prolaberetur, ac propterea debuerit, ut ait Apostolus, per omnia fratribus assimilari, ut, misericors fieret. Verum quid ais, ô Paule? vide, ne quid impium, ne quid sacrilegum, proferas; vide, ne, dum vis Christo susceptam hominis attribuere naturam, simul illum coneris de summa illa atque perpetua in homines benignitate misericordiaque dejicere. quando enim destitit suam Deus hominum generi misericordiam impertiri? quo tempore non est infinitam illius in se homo benignitatem expertus? non ne sæpius ultro est occurrere solita supplicibus, nullius oratione provocata? quando Deus, nobis propter peccata nostra vehementius iratus, novo aliquo genere calamitatis impudentissimæ hominum ad peccandum licentiæ obviam ire constituit, quin adhibuerit, in consilium cogitationum suarum, misericordiam atque clementiam? Verum, nihil est Paulus nisi sanctissime, nihil nisi religiosissime, loquutus. fuit illa semper Dei, P. B. in omnes homines misericordia, quæ quum sit unum & idem ac Deus, immo Deus ipse, nunquam potuit neque poterit ab ipsa divina natura sejungi. semper clementiæ & miserationis munera inter homines ab illo perenni misericordiarum fonte manarunt. hic nobis patuit semper, neque est illa ejus ingens donorum effusio, ulla hominum importunitate, contracta; verum, neque affectionem ejusmodi sentire poterat, quæ, quod unius est propria hominis, non cadit in Deum, ab omni concretione mortali sejunctum, neque illius vi omnino commoveri. ut igitur infinitam illam bonitatem atque sapientiam, non modo re ipsa ærumnarum & calamitatum nostrarum, opem ferendo, misereret, verum etiam sensum hunc humanitatis, & illam quæ suscipitur ex afflictis hominum rebus ægritudinem, haberet, ad induendam formam servi, atque naturam iisdem prope affectibus obnoxiam, suam infinitam bonitatem incredibilis vis amoris adduxit. Si nihil est igitur, quod tantopere valeat ad animum judicis ad misericordiam adducendum, quam ipse idem misericordia & dolore incitatus orator, quantam conciliabit nobis apud ipsum Patrem misericordiam, quum non solum commotionem suam verbis, sententiis, voce, vultu significabit, verum totis etiam

impressa membris, acerbissimi signa doloris, ostendet? si, ad conciliandam sibi judicum benevolentiam, dicentis quam maxime valet autoritas; quis dubitet, Christi ductu & auspicio tutum sibi receptum ad expertam Dei clementiam fore? qui propter divina & immortalia merita, & virtutis egregiæ laudem, ad id honoris culmen ascenderit, ut proxime ad Dei majestatem & amplitudinem videatur accedere. si maximam victoriæ spem affert judicis animus, sua eo quo impellitur sponte propensus, si eo, quo cursum intendimus, quam citissime pervenire speramus, quum eo nobis est velificandum, unde aliquis flatus ostenditur; quis jam in Dei misericordia, qui vult omnes homines salvos esse, felicem, Christo postulante, non speret eventum? si demum adeo rogantis dignitas & gratia semper in judiciis floruit, semperque dominata est, ut res ad vincendum nulla plus possit; quis Christi gratia non moveatur? quis se, ejus comitatum studio, Dei opem nequidquam putet imploraturum? quippe & propter naturæ communionem & propter voluntatis conspirationem, eandem, in quam Christus iverit, sententiam Deus tueatur. quo enim Pater, à filio rogatus, non descenderit? quid ab illo non impetraverit? quum ad illorum utilitatem postulata retulerit, quos, laboribus maximis susceptis, periculisque gravissimis aditis, ex hostium vi manuque eripuerit, quibus vitam sua ipsius morte pepererit. quid, si illud pectoris vulnus, si pedum & manuum cicatrices, ostentet? jam, quantam in Deo misericordiam concitabit! quantam in Dæmonem conflabit invidiam! quantam in nos benevolentiam conciliabit? Tanta ejus, in oratione, futura vis est, ut vel unus ille! cicatricum aspectus, non Dei inclinantem modo ad hominum perniciem animum erigere, sed adversantem etiam ac, si fas est dicere, repugnantem, ut Imperator bonus ac fortis, capere possit. Possem hoc loco argumenta congerere, prope innumerabilia, utilitates maximas enumerare, infinita in Christi patrocinio constituta nobis commoda proferre: sed video, multa mihi esse necessario prætermittenda; nonnulla leviter pertingenda, quo, prospero soluta cursu, aliquo tandem exitu concludatur, &, tanquam in portum, contractis velis, mea invehatur oratio.

oratio. Nolite igitur, cariſſimi Chriſto diſcipuli, tanta in nos profectura ex Chriſti diſceſſu commoda pervertere. non hic tantum veſtra res agitur, ſed communis omnium ſalus in veſtro dolore periclitatur. nihil eſt Chriſto noſtro ſuavius, nihil humanius, fateor; ut in ejuſdem profectionis cogitatione defixus ſentiam, à me ipſo viſcerum partem avelli. ſi minus juſto, at pio tamen, dolore affectos vos eſſe concedo; adjuvo etiam meis lacrimis mœrorem veſtrum: verum. ſi nihil abſentiâ, de ſuo in nos amore, detrahetur, ſi noſtro in illum magnus etiam cumulus accedet, ſi majora perceptis lucra faciemus; profecto abjicienda hæc animi mollicies erit, efficiendumque, ut cedat utilitati dolor, & hæc quantacunque jactura, utilitatum maximarum compenſatione, leniatur. non eſt ſapientis, ſuæque utilitati ſervientis, commodum aliquod maximum, minoris adipiſcendi cauſa, præterire. quid ſi demonſtrem, non ejus vos dolore commotos, ſed veſtra cauſa in tantum mœrorem adductos? nonne, multo vos pluris ipſos à vobis quam Chriſtum diligi, convincamini? Verum, illum ipſum potius, cujus à vobis diſceſſum doletis, dolorem veſtrum increpantem auditote. *Si diligeretis me, gauderetis utique; quia vado ad Patrem.* Quid tibi venit in mentem, dulciſſime Ieſu, de illorum amore dubitare, quos ob triſte tuæ deceſſionis nuncium, tanta vis mœroris invaſerat, ut in illorum verbis, precibus, voce, vultu, collacrimatione denique, tanquam cuncta pervadentis doloris veſtigia conſpicerentur? Equidem, ut à me de cæteris judicem, neceſſe eſt, ut plurimum diligam, quem ſine lacrimis atque dolore à me diſtrahi atque divelli non patior. profecto, ipſa hæc tam lugubris Chriſti mortis abituſque commemoratio illos in lacrimas mœroremque vocaverat; ſed multo majorem in luctum atque ſquallorem ſua ipſorum orbitas ſolitudoque conjecerat: non tantas, hoc tam improviſo ictu conſternatis animo miſeris, Chriſti diſceſſus doloris faces accenderat, quanta iiſdem ea, quibus erant cārituri commoda. At vero ſuis incommodis graviter angi, non amicum ſed ſe ipſum amantis eſt. Quid? te ne ab illo diligi exiſtimares, qui tuis honoribus, commodis, ac rebus proſperis, non æque actu ipſe, gauderet?

deret? etenim, si Christi utilitas potior illis fuisset, næ ingens ad eos gaudium ex ea, quæ perventura ad Christum erat, gloria venisset. & sane, qui fieri potuisset, quin ea, quæ tum in ejus ore vultuque, quum nostræ salutis sui sanguinis precio redimendæ tempus instaret, eminebat hilaritas, perturbatis & afflictis omnem ejiceret ex animo profligaretque molestiam? qua se ratione continuissent, quin illi ultro ferrent amplexus, quin gratularentur, quum scirent, eundem debellatis hostium infestissimorum copiis, afflictis ac prope deletis vitiorum monstris immanissimis, animorum præda onustum, hostilibus spoliis ornatum, more triumphantium, universa cælestium agminum turba, prope convulsa suis sedibus, obviam procedente, ad summum cælestis Regni fastigium, esse, per omnes beatorum ordines, tanquam per gradus, evehendum, & in illa honoris sede celsissima ad Patris dexteram collocandum; quum intelligerent, tribuenda eidem fore vivorum mortuorumque omnium judicia, ceterosque honores amplissimos & immortales, æqua suorum meritorum præmia, decernendos? Si igitur expedit nobis, si gloriosus est tibi futurus hic è mundo discessus, quandoquidem nos jam dudum nimis indulsimus; abi, proficiscere, tuis rebus gestis amplissimis triumpha, fruere hac tua maxima gloria, nosque tuo amore leviter incensos, quem à rerum fluxarum cupiditatibus tua hæc suavissima vindicavit humanitas, ne desistas usquequaque vehementius inflammare. Maximum, perfectissimum, ac prope divinum, ut ante dixi, amoris genus suo sibi jure à nobis exigit Christus, non humilem, non vulgarem, non usitatam inter homines caritatem efflagitat, sed singularem & insolitam benevolentiam, & si non eam quæ digna sit Deo, tantis nominibus de nobis optime merito, at quæ certe, pro viribus, ad divina illius in nos merita proxime accedat. verum, ut nulla materies facilis ad exardescendum est, prius quam humorem quem intus retineat efflaverit, ita mortalis animus nunquam ad comprehendendum divini amoris ignem erit apprime paratus, nisi, qui fusi per ipsum sunt, turbidi cupiditatum quasi flatus evaserint; quos nulla res prorsus exhaurit, & mentem præparat, ut possit incendi, nisi,

nisi, qui suavissime permanat ad sensus ex divinæ erga humanum genus beneficentiæ & largitatis intuitu, ex Christi plagis atque vulneribus ardor expressus. Quamobrem semper plurimum peccanti prodesse existimatum est, si, initio suæ conversionis ad Deum, quæ redundat de homine Christo voluptas, ad illius sensus effluxerit, hac enim primum celeriter, ab hujus vitæ oblectamentis atque illecebris, à corporis voluptatibus, satietate quadam atque fastidio abalienamur. hæc crebris quasi irrigationibus durum emollit atque intractabilem animum. nam, quemadmodum totam fere Ægyptum, sterilem per se ipsam atque silvestrem, fœcundis aquis irrigat Nilus, ita hæc ubi in animum infusa jucunditas eundem obrutum oppletumque tenuerit, tum recedens, quasi mollitum & oblimatum agrum ad ferendum, relinquit; eadem enascentes luxuriantesque cupiditates quadam quasi falce amputat, ferroque depascit, eadem animum subactum, ut agrum non semel aratum, sed novatum & iteratum, aptissimum reddit ad fructus divini amoris efferendos. Verum profectionem hanc tristem & luctuosam, quum plena doloris, plena mœroris esset, usque eo benignitate & misericordia Christus, acerbitate omni, levavit, ut dulcem etiam atque jucundam effecerit. O singularem Christi in omnes homines humanitatem tuam! ô benignitatem incredibilem! ô clementiam prædicandam! quis, vel hanc unam ob causam, non omnia tibi sua studia præsentet, non omnes conatus polliceatur, se denique ipsum in omnem æternitatem singulari huic lenitati atque clementiæ non deferat? quis hanc tam ardenti caritate tua non usque adeo superetur, ut omne adversus quascunque res alias studium amoremque rejiciat? Quum jam necessitate abeundi premeretur, quum jam ejus illam mortis victricem mortalitatem sibi cælum poposcisset, non tulit, non passus est, omni repente solatio destitutis, sui triste aspectus ac miserabile desiderium relinquere; sed placuit, toto illo quadraginta dierum intervallo, se illis identidem demonstrando, ne dolori succumberent, vel prorsus fide destituerentur, se ipsum tamen à consuetudine & assiduitate oculorum abducendo, vel paulatim illos assuefacere, vitam sine ipso traducere. Videmus,

demus, matres, quum primum liberos ad ingrediendum erudiunt, non illico deserere, quod propter ætatem nusquam diutius insistere, aut ingredi longius sine casu aliquo aut prolapsione, possint, verum ex occulto, utrum suis niti pedibus commode queant, an vero nullo pacto consistere possint, observare: quod si jam offendisse, aut prolabentes, inspexerint, materna pietate filiorum casu perterritas, propere festinantes accedere sublevare jacentes, confirmare titubantes, & admotos uberibus suavissime complexari, demum his artibus eo usque insistere, donec ipsos quoque pedibus ad insistendum idoneis esse animadvertant. Non secus Christus Dominus, eorum aspectui, quos, teneros quasi fœtus, in suæ sinu benignitatis educaverat, se paulisper subtraxit, interdum se longius ire finxit; quumque, dum tenebris mortis funestissimæ atque nefariæ, suæ lucis splendor obvolutus esset, illa lubrica atque periculosa non constitissent via, quorum vestigiis ut insidiaretur humani generis hostis, vehementissime à Deo efflagitaverat; immo in communem omnium errorem rapti scandalum offendissent, ac miserandum in modum passim omnes afflicti procubuissent: non cessavit sua egentes ope impertiri propere, atque omnes, uno excepto proditore sacrilego, qui in illo eodem scopulo occubuerat ad quem miser allíserat, excitare; quos non tam suarum imbecillitas virium humi projecerat, quam omnino totius Christi rationis expertes ignarosque in unius hominis recuperationem preciosum ejus sanguinem profundi, gignique mortalium generi Christi morte salutem, atrox tanti discriminis casus ingenti terrore concusserat. Pulcherrimo Christi aspectu, alio lumine omni destituti in his humanæ vitæ tenebris, solis loco clarissimi utebantur Apostoli; hunc vitæ ducem ac moderatorem habebant, hunc requiem malorum invenerant; qui si tantisper forte ab eorum oculis subduceretur, velut offusa nocte, sibi mundi lumen obscurari, & una cum illo vita etiam ipsa eripi videbatur. Iam vero, ubi extremo illo suæ vitæ tempore, sæviente Iudæorum immanitate atque perfidia, inflammatis scelere parricidarum mentibus, deficientem primum nitorem sideris sui, maculis ignominiæ conspersum, condidisse, deinde sanguinis

guinis colore suffuso suum illud omne lumen obruisse viderunt; non aliter, intentis ad hoc tam atrox & acerbum impietatis spectaculum, ingens ex eo terror atque formido incussa est, atque indoctis illis ac rusticanis hominibus, qui primum cæli ac siderum rudes, ignarique, subjectam soli lunam, nostrisque oppositam sensibus, solis radios obscurare, eandemque è regione solis sitam, interpositu interjectuque terræ, repente eam amplius lucem, quam à sole accipit, non posse in terras immittere, solis & lunæ defectiones animadverterunt. eos igitur Christus, ut hac formidine liberaret, nihil habuit antiquius, quam ut, revocatus in vitam, &, recuperato nitidiore splendore, sacrorum vatum effata, involucris obducta, evolveret in mediumque proferret, doceretque, summum justitiæ solem, quasi cælo temporum destinatas vices implente, & piacularis maturitate temporis existente, necessario defecisse. Itaque, ut, tertio quondam die, toto iterum cælo luce diffusa revixisse sibi visæ sunt regiones illæ, quibus eruptione Ætnæorum ignium tantæ extiterant tenebræ, ut per biduum nemo hominem homo agnosceret; ita, quum erumpente, una cum amoris incendio, conditionis humanæ quasi fumo, divina illa majestas obscuraretur, & tenebris omnia complerentur, pæne jam extincti & luce omni carentes Apostoli, se denuo in vitam vocari, putaverunt, ubi tertio item die sol Christus illuxit. Quare, ubi jam illos, omnem, quamvis longam, ingredi posse viam animadvertit, & ea omnia, quæ in adultos jam ætate pueros conveniant, de illorum omniumque nostrum utilitate solicitus, nihil utilius arbitratus est esse, quam terras deserere, & humanam cælo naturam inferre, unde talem illis custodem demittat, quo illorum solitudo atque imbecillitas quam firmissimo præsidio muniatur, & talem defensorem adjungat, quo comite atque socio mollis ille atque ignavus amor, firmus, constans, & ad omnia pericula fortis, efficiatur. Etenim, simul atque Apostolorum pectora divino Spiritus sancti igne calescent, ille, qui in hac umbratili ut diximus exercitatione se continebat, amor, ut non hostium modo aciem intueri, non modo in foro, in urbe, in hominum esse conspectu, perhorresceret, sed ne ipsam

ipsam quidem lucem anderet aspicere, jam divina Spiritus sancti virtute corroboratus, ejusque viribus armatus, plenus animi, plenus roboris ac virium, omnem ferociam in discrimen ipsum certaminis afferens, se ipsum in medium agmen, in pulverem, in clamorem, in aciem educet, in armatas hostium copias immittet, vehementiori flagrans incendio sponte se in furentes popularis invidiæ flammas impellet, non lacessitus impios provocabit ad pugnam, arma in se furentium exacuet, & concitata in Christum odia convertet; non ipsum se amplius, non sua quæret commoda, sed cuncta referet ad Christi gloriam, ad ejus fidei propagationem; ipsa Apostolorum corpora, suæ adeo salutis vitæque solicita, tum ad omnia pericula offeret, tum etiam palam, ad explendam carnificum rabiem crudelitatemque, proponet; nullius erit ita laudis cupidus, nullam exiget aliam suæ caritatis mercedem, quam ut propòsita sibi ad æmulandum invicta Christi patientia, liceat sanguinem illi pro sanguine, vitam denique pro vita, rependere. O præclarum & admirabilem tui Christe amoris specimen! ô semper ardens nullaque sanguinis profusione restinctum divinæ tuæ caritatis incendium! ô singulare amoris cum summa crudelitate certamen! ô dignum Deo, Angelis, hominibusque spectaculum! in quo primum P. B., quasi ferentarii, ad committendum prælium plurima prodiere ex Christi liberalitate argumenta beneficentiæ, contra ex Iudæorum castris ferox erupit exsecrandæ impetus invidiæ: postea vero, quam infestis signis utrinque concursum est, tanta vi pugnatum est, ut in eo certamine longe semper magis amoris ad benefaciendum incitatus ardor effervesceret, quam accensa ad exsorbendum benefacientis sanguinem odii voluntas inflammaretur. Christi singularis humanitas cum Iudæorum feritate confligebat; instabat hinc acriter divina sapientia, pertinaciter illinc humana stultitia repugnabat: occurrebat hinc animi moderatio, illinc effrenatæ libidines resistebant: hinc se pietas extollebat, illinc cornu flagitium efferebat: hinc probitas inter immanissima scelera, quasi in confertissimos hostes, incurrebat, illinc furor in divinam Christi clementiam, quasi in armatas hostium copias, irruebat. æquitas, demissio

demiſſio animi, fortitudo, conſtantia, virtutes omnes, cum iniquitate, cum ſuperbia, cum ignavia, cum temeritate, cum vitiis omnibus, decertabant: denique miſericordia cum juſtitia, patientia cum labore, vita cum interitu, ſemper vigens & erectus amor cum jam defeſſa atque languenti immanitate pugnavit. in ejuſmodi certamine, quaſi omnes adverſariorum impetus atque conatus majus Chriſto robur fortitudinemque adderent, quo ejus vis deprimi videbatur magis, eo ſeſe altius efferebat, & quaſi conjectæ in æſtuantem ignem egelidæ tormentorum aquæ, non illius comprimendi ſed exagitandi, non refrigerandi aut extinguendi, ſed nutriendi & inflammandi, vim quandam ac poteſtatem haberent, in majus propemodum caritatis ardor excreſcebat incendium. Quemadmodum enim, ſi quis æger ac morbo gravis, maxime quum vis fureret morbi, quanta maxima poſſet voce, ſe æſtu ſitique torreri fatigarive, clamaret, poſtularetque ut ſibi gelida ferretur aqua; ubi vero miſer cum poculo ad ſe venientem aſpiceret, vas geſtantis extorqueret è manibus, forte reſiſtentem vi manuque repelleret, male verbis acciperet, eoque hauſto, ſe multo gravius vehementiuſque æſtu ſitique ingraveſcente afflictari, vociferaretur, nonne huic maximam eſſe febrim, non letali miſerum ardore conſumi, fateremur? Sic noſtri amantiſſimus Chriſtus, quaſi ferventem, diuturnam, ac moleſtiſſimam ſitim explere cupiens, omni ſuppliciorum & crudelitatum genere vas plenum atque redundans è Patris manibus videbatur eripere; quum ore ardenti, quaſi evomens quas intus flammas abſconderat, ſæpe diceret, *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, donec in me perficiatur*! quumque, omnis impatiens moræ, ac ſeſe tandem in cruciatum dari quamprimum exoptans, nimis diu optatam pro nobis mortem ſane differri quereretur, Petrum, illi meliora precantem, ſatanam appellans, repulit. utque æger, impetrata à medico bibendi poteſtate, ſi ab amicis admoneretur, propterea quod poculum ſumſiſſet avidus, ut modice biberet, ut ſuæ ſaluti parceret, ne ſibi ipſi quodammodo manus afferret; nonne, quaſi de ſuo jure ſibi aliquid detraheretur, cum eiſdem expoſtularet? nonne hoc illis peracerbe fortaſſe reſponderet:

ret: Quid? medicus fecit poteſtatem bibendi, vos eam mihi extorquere conamini? Ita Petro ait, quum irruentes in eum milites vi manuque repelleret: Pater hunc mihi tradidit calicem, ad meum arbitrium exhauriendum; tu me æſtu, quo jam diu crucior, relevari prohibeas? In horto igitur Gethſemani, hoc ingens & immane poculum, primum labris admovit; quumque, humi proſtratus & afflictus, demiſſis illis precibus ter Patri ſupplicaret, ex eo bibit, quum à prætoria cohorte corriperetur, dum, ab impio diſcipulo, nefariæ proditionis teſſera indicaretur, dum collo manibuſque injectis catenis, velut prædo, vinciretur: ex eodem itidem bibit, dum in Prætoris conſpectum produceretur: bibit, dum ad Herodis tribunal raperetur: bibit, dum veſte ſpoliaretur, dum verbera, non ad quæſtionem ſed ad pœnam, ingererentur, dum per ultimos cruciatus, quippe damnatus, & impiis cohortis Romanæ militibus, ut Iudæis gratificarentur, torquentibus, laceratur, non amariſſimos tantummodo cruciatuum liquores exſorbet, non haurit, non ebibit, ſed totus quaſi perfunditur; in funeſto demum Calvariæ colle, cruci affixus, coeuntibus in inſontem hominem ac Deum, tanquam unum in locum, omnibus dolorum & acerbitatum non rivulis ſed fontibus, obrutus prope eſt, & ut Hieremias ait, eſt *ſaturatus opprobriis*; quumque, exhauſtis prope omnibus cruciatuum & calamitatum fluctibus, ſitis ejus arida, non relevata modo atque refrigerata, ſed ſatiata & jam penitus exſtincta videretur eſſe, adhuc magis ebulliens quod intus effervefcebat incendium, ſumma omnium cum admiratione, ingenti ad extremum edito gemitu, *Sitio*, quantum potuit, voce contendit. O maximum ardorem, nullis dolorum fluctibus refrigeratum! ô fervidum ignem, nullo cruciatuum imbre reſtinctum! ô vehementem flammam, nullis fluminibus tormentorum oppreſſam! quis ex omni ſeculorum memoria ita in amore conſtans inventus eſt unquam? quem adeo alicujus amantem audivimus, in quem illud aptius conveniret elogium, *Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem?* quum non tantâ ſacrilegi homines ejus exorbendi ſanguinis cupiditate flagraverint, quanto ille deſiderio, poſt acerbiſſima tormenta, ad ſubeunda nova

nova etiam multo graviora supplicia & cruciatus exarserit. Quis non igitur merito, luce hac sacrosancta, triumphet? quis non jure lætetur? quis tantis undique circumfluentibus gaudiis, mœroris aut tristitiæ causas anquirat? Quid reliqui profecto erat, quod Apostolos ad dolendum incitaret? quæ nova mœroris caussa ex præsenti lætitia emerserat, ut reluctantes in luctum ac dolorem impellerentur? quis adhuc miretur amplius, Apostolos tantam ex Christi discessu concepisse lætitiam, ut cum gaudio Hierosolymam reverterentur? etiam ne exigua ad lætandum materies videatur, sentire, se omnia summa esse consecutos, arcanorum mysteriorum notitiam, rerum divinarum scientiam sibi traditam, intelligere, in illum postremum amoris exitum evasisse, in quo omnis ejus perfectio atque præstantia posita est, & admirabili incredibilique constantia, fidelissima atque perpetua veri amoris comite & administra, corroboratos se esse, cognoscere? cujus vi ac firmitate, in se conjectas omnes impietatis faces exciperent, suique demum sanguinis effusione restinguerent, qua sibi incussos mortis tormentorumque metus averterent, & ad enascentis tum primum semina religionis toto jam terrarum orbe, diffusa suis eversis satoribus, extinguenda, vanas conspirantium inter se principum voluntates & conatus efficerent. quæ tantæ erant tenebræ doloris atque tristitiæ, quas non illico disjiceret ea, quæ repente, in tantis nubibus, Christi divinitatis notitia, quasi fulgor, illuxerat? quæ cæcis nunquam oculis undique erroris caligine circumfusa, in tot signorum magnitudine, in tantarum admirabiliumque rerum molitione, in salutaribus Christi præceptis, effulserat. Quæ igitur mœroris tanta vis reperiri posset, quæ erumpentis jucunditatis maximæ cursum inhibere, & ad Apostolorum pectora pervadenti, vias niteretur intercludere? quid enim eos magis rapere poterat in lacrimas, quam hæc repentina Christi decessio? at illico re ipsa experti sunt, eo arctioribus cum illo vinculis colligatos se esse, quo ab eorum sese conspectu & consuetudine longius amovissent. nos huc jam pridem fidei Christianæ dignitas amplitudoque vocabat, ad hoc quasi ad quoddam ultimum Christi prædicationis & miraculorum jacula dirigebantur,

tur, scilicet ut in eo id primum diligeremus, quod nec mortalibus oculis intueri, nec terrenis manibus contrectari, nec ullis corporis sensibus percipi posset. hinc Mariæ Magdalenæ, totius Ecclesiæ personam tunc temporis referentis, diu lacrimis quæsito, & ægre tandem invento, ferenti obviam amplexus, *Noli*, inquit, *me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem.* scilicet, ut Beatus Leo summus Pont. explicat, Quid in carne conaris mulier ad me venire? quid ex corporis figura, quam ex me ipso, tibi sum notior? non eam à te ipsa, & ab illis qui in me credituri sunt, mei notitiam requiro, quæ contrectatione contineatur, sed eam prorsus cognitionem efflagito, in quam Spiritus ductu auspicioque proficiscantur; hæc, ubi in cælum abiero, & à vobis præsentibus præsens ereptus fuero, ut in vestros animos inferatur, & illata in eisdem plurimum augeatur, efficiam. Hoc unum maxime fidem nostram spectabilem & admirabilem reddit, in hoc ejus præcipue nobilitas elucescit, ut, quod plurimum est à nostris sensibus remotum, id nos maxime credamus, quem ipsi nunquam audivimus vel vidimus, diligamus, qui tanto à nobis intervallo sejungitur, debito cultu ac benevolentia prosequamur. huic erat fidei totus prope terrarum orbis, summa cum celeritate, lustrandus, &, superstitione omni refertus, exturbato de suis sedibus idolorum cultu, Christi religioni dicandus. & quum hoc quadraginta dierum tempore, quo tempore Christus Dominus versatus est inter homines, nondum tutum ac liberum præbentibus Apostolis in ipsorum animis aditum, paululum constitisset; eos tamen adepta, velut retenta diutius intentissimo arcu sagitta celerius, quum emittitur, quo destinatur, infigitur; celeritate incredibili urbes peragravit, maria trajecit, Alpes ascendit, & quidquid nascentis inter obeuntisque solis terminos continetur, quidquid Austri Aquilonisque regionibus includitur, amplexa, omnes terrarum oras opplevit, & munita Spiritus sancti ope ad penetrandum in visceribus hominum via, omnium invasit animos, eisque penitus insedit, & quandam quasi notam, perpetuo quidem permansuram, non cruore fœdandam, non ferro violandam, non igne delendam, inussit. hæc vel semel comprehensa mentibus animisque

misque credentium, tam stabilis ac diuturna permanet fides, ut, non sicut ceteræ impietatis antiquæ, vanæ ac fictæ, de diis immortalibus opiniones, non sicut veterum & recentium quorundam hæreticorum somnia quædam atque commenta, diuturnitate extinguatur, deleatur, die, vetustate, & annorum decursu contabescat, injuriis temporum occidat; sed longissima jam vixerit secula, vim diuturnitatis evicerit, hominum ætates superaverit, atque adeo in æternum propagari ævum est avida; ut nec decursis saturetur annis, nec præteritis temporum spatiis expleatur. O felicem Apostolorum hæsitantiam! ô nobis salutarem titubationem! ô breve nescio quod tempus, immensis seculorum pæne innumerabilium spatiis compensatum! illa illa hujus disseminandæ & propagandæ religionis ministrorum nimis curiosa investigatione, an Christi animus ad corporis societatem rediisset? incorruptæ posterorum fidei jacta sunt firmissima fundamenta; illa necessaria Apostolorum cunctatione, nostræ ad credendum tarditati itum est obviam, & brevi temporis spatio, pæne immortalitati provisum. Quæ fæx igitur tristitiæ, purum & liquidum voluptatis amnem inficiat atque corrumpat? præsens à præsentibus eripiatur, abducatur ab oculis, nunquam tamen validissima illa, quibus Christo jam adstringuntur, vincula dirumpentur; nulla cupiditate, nullo metu, non jam humanis naturæ mortalis muneribus, sed cælestibus divinitatis donis, contracta cum eodem Christo societas dissuetur; nulla vi unquam perpetua illa animorum conjunctio distrahetur, nec inimicorum sævitia, nec Iudæorum importunitate nec locorum ac temporum intervallo, dissociabitur; nullis humanarum rerum cupiditatibus, nullis voluptatum illecebris, jam alte in Deo radicibus actis, plane stabilis ille amor perturbabitur, nunquam de sua sede ac statu dimovebitur. nam, quidquid erat in terris boni, quidquid suave, quidquid jucundum, jam una cum Christo desideratur. & simul atque illa invida & importuna nubes soli clarissimo terram larga luce complenti offecit, omnes etiam ejus partes opacavit, nonne hic cuncta mihi sine te, suavissime Iesu, vilescant? hic sine te mihi se aliud quid offerat, quo oblectare me possim? poterit ei, qui tua vita

 vixerit,

vixerit, qui tuo lacte recrearetur, (Christe optime) aut hujus cæli spiritus esse jucundus, aut hujus vitæ hæc lux non obscura videri? Verum, ut tandem modum statuam orationi meæ; quum victor de tribus potentissimis hostibus gloriosum in cælo triumphum reportaturus sit, si nos eum diligimus, si ejus nobis cordi existimatio est, nostrum ad ejus gloriam studium conferamus. At, quid est jam, in quo operam nostram profiteri, eique palam navare possimus? nam si opes illi nostras polliceamur, bonis cælestibus affluens, nostrarum rerum non eget, si potentiam, si dignitatem, si laborem offeramus, omnes nostræ non modo utilitates & commoda ab eodem, tanquam à fonte, deducta proficiscuntur, sed etiam, quod vivimus, quod movemur, quod spiramus, uni illi acceptum referendum. nihil ergo horum est, quod non, in eorum datore & perfectore, multo quidem excellentius atque nobilius existat. Vna res est, P. B. in qua gratificari Christo possimus, unum illud relinquitur, in quo non modo Christi gloria versatur, sed nostra etiam salus & utilitas continetur. In splendida atque illustri triumphantium pompa, hæc omnia, triumphorum dives antiquitas, admirabatur; simulacra urbium & oppidorum, devictarum gentium imagines, auri & argenti vim ingentem, & detracta ab hostibus spolia; ad hæc, obstrepere omnia clamore militum & tubarum sono, omnia acclamantium vocibus personare; præterea vulgi plausus, populi, sua adversus Imperatorem studia significantis, clamores exaudiebat, carminibus victoriam ducis celebrari, ferri ad cælum laudibus Imperatorem; sed quod in se oculos omnium converteret, quod plausus & clamores excitaret, id in primis videbatur, quum tantorum modo exercituum reges, à quibus tot antea gentes atque nationes jura petebant, quos infinita hominum genera, tanquam deos, reverita, eorum pedibus advolvebantur, tunc, de regali fastigio dejecti, victoris arbitrium expectantes, ante currum vincti ducerentur. Iam vero inimici atque hostes nostri infestissimi, qui semper Christo bellum habent impium atque nefarium indictum, sunt, nostra scelera atque peccata; quæ si vincta Christo tradiderimus, ut quæ tantum illi quondam dedecus & contumeliam intulerint,

ejus

ejus gloriæ & amplitudini aliqua ratione deserviant, eorum vim atque conatus adeo æternis in posterum vinculis atque carceribus coercebit; ut, nisi tu ipse eorum vincula ruperis, horribilibus custodiis circundatis, omnem spem eis prorsus libertatis, & nocendi potestatem, eripuerit. Verum, neque cuiquam veniat in mentem, dubitare, se idcirco desertum esse, quod cælo Christus receptus, Patris dexteræ assederit, aut, quasi perfuncto gravissimis vitæ laboribus, sibi quiescendum esse duxerit, neque salutis humanæ semel per illum partæ tutelam, ejusque dignitatis defensionem, utpote curarum plenissimam, esse cum præsenti lætitia commiscendam. nam, etiam si tanto intervallo abesse videatur, animo tamen & corpore, quemadmodum in cælo fruitur, adest, nobiscum manet, &, usque ad consummationem seculi, perpetuo manebit. etsi, honorificentissimo Dei judicio, tanto honore dignus est habitus, quantus neque ulli delatus est ante illum neque habendus in posterum, etsi, nulla externa adjutus ope, sed suæ virtutis gradibus, ad eam sibi gloriam communivit viam, etsi in solio, circumfuso undique lumine, collucenti consedit; tamen, quando id res ipsa postulare videbitur, quum præsens periculum aderit, velut ex eodem exiliens, præsto erit illico, &, si nos adversariorum insidiis expeti, si in aliquod discrimen vocari quenquam, aspexerit, quæ ad nostram semper defensionem parata habet arma, suscipiet, periculum quod in nos intenditur propulsaturus. nulla quidem immortali intercedit ægritudo lætitiæ, neque tanta contaminantur gaudia labore, non desidet, non cessat, quum susceptis armis res ad certamen deducitur. Ecquis apud illum unquam de suis calamitatibus deploravit, quin statim in ejus fide certissimum ac paratissimum perfugium invenerit? Ecquis unquam, accepta à dæmonibus clade depressus, aut hostium minis terroreque perculsus, ad ejus aram præsidii opisque confugit, quin eum subito, studiosissimum sui defensorem ac propugnatorem, habuerit? Quid? nonne in dubiis rebus, in maximis gravissimisque periculis, allata sæpe multis auxilia, quemvis aut hebetem aut impium, Christum præsentem fuisse, palam confiteri coëgerunt? Repetamus memoria, si placet, à primis illis

nascentis Ecclesiæ primordiis. Quum impietas armata, ad debellandam ac funditus evertendam Christianæ religionis veritatem, manantem in dies latius, eosdemque suæ magnitudini terminos, quibus terræ ambitus continetur, cæli regiones constituentem, in Christianorum cæde desævit, & honestissimo Sanctorum sanguine saturata est; nonne vetustissima scriptorum monumenta, quibus propter vitæ sanctitatem, gravitatem, eruditionem, abrogari fides non potest, testari reperiemus, suam illum non modo operam, cum strenuorum militum virtute atque præstantia conjunxisse, sed, quo præliantibus animus amplior esset, suam ipsius sæpenumero præsentiam declarasse? quoties in acie, ex illustri & excelso quodam loco pugnantem, mortalium genus aspexit? quoties tela vibrantem, & ingentem hominum multitudinem ad martyrum carnificinam, velut ad quoddam immane crudelitatis spectaculum effusam, de cælo ignibus atque ætheris flamma consumsisse animadvertit? Quid referam ex vetustis atque vulgaribus sanctorum martyrum atque virginum historiis ductas narrationes? quis est omnium adeo rerum ignarus ac rudis, modo sit Christi religione imbutus, qui non aut legerit ipse aliquando, aut non audierit, sæviente falsa deorum superstitione, quæ, furens amensque, bellum atrox atque impium Deo hominibusque indixerat, Christum ipsum plerumque humana specie, dum fortissimi illi duces, sacræ Christi militiæ nuper adscripti, pro vera religione tuenda, divinitus ad mortem usque decertantes, à tyrannis crudelissime vexarentur, coactam ad necem insontium acerbam lictorum atque carnificum manum effudisse, aut lacerata flagellorum ictibus corpora, aut evulsis carnibus denudata ossa integritati ac decori pristino reddidisse, vel, id robur animis atque constantiam intulisse, ut acerbissimos inter ultimosque cruciatus, illorum plurimi nullos dederint gemitus, nullas voces emiserint, nullum denique inter prementium tormentorum angustias omnino doloris sensum expresserint? Pendebant alii totis diebus è cruce, & de ea, tanquam de superiore loco, populos ad Christi fidem erudiebant. stratas alii ignitis carbonibus vias læti, quasi rosas, ingrediebantur; perusti, quamplurimi, vel tædis arden-

ardentibus, vel candentibus laminis, ita dulcissimis complebant omnia vocibus, ut si fervido fatigata æstu mollissima corpora suavissimo rore relevarentur. demum, multi inter acerbissimos scorpionum cruciatus, inter crebros flagellorum ictus, nudis plerumque ossibus incussos, exultare sibi videbantur inter choros Angelorum, & divina quadam suavitate perfundi. Quid multa? adstat lætum inter omnes Deo datura spectaculum, supplex in genua provoluta virgo, regali stirpe progenita, atque ejus candidæ decoræque cervici stricto imminet gladio immanis dextera lictoris, letali vulnere eum jam jam in locum delapsura. verum, ô rem miram & incredibilem! quum illi mors impenderet, quum ferro invaderetur, quum omnibus premeretur ærumnis, quæ proximo leti periculo saltem aliquantulum exterreri, quam vel metus ipse & expectatio exanimare debuerat, eo erat statu mentis atque corporis, ut eam neque præsentis terror mortis impelleret, neque inimicorum labefactaret injuria. contra vero is, ad quem tantæ immanitatis spectabat officium, quasi eodem ferro miseri illius jugulum peteretur; toto animo totisque artubus contremiscebat. Vnde tam gravia tamque difficilia perferendi in illos ardor æstuabat? unde tanta securitas animis, nisi à Christo præsente, ingerebatur? an suam passus est diutius opem à Stephano implorari, quum obsessus à Iudæis lapidibus obrueretur? in illa acerrima pugna intentis oculis in cælum, quasi duas discissum in partes, non eum sedentem, ut olim, sed, ut præsens occasio ferebat, contemplatus est, stantem, opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, laborantibus succurrere, liberare periculis; sibique illatas ab acerbissimis hostibus injurias propulsare. erit ne quisquam adeo divinæ immemor benignitatis, & exhibiti in nos amoris expers, qui, eo quod se nostris oculis conspectuque exemerit, omnem itidem eorum, quos dilexit unice, memoriam ex animo ejecisse arbitretur? hæc non modo P. B. viget perpetuoque vigebit, sed ejus plane in medullis, atque in visceribus ipsis, infixa perpetuo manebit. Vtinam illius nos ita memores essemus, nec veterum fama meritorum, aut præsentium gratia beneficiorum, elaberetur ex animo, ut nostrarum miseratio cala-

mitatum nulla unquam adversa, ac contra nitenti injuriarum vi, ex ejus pectore exturbata concedet, nec vivida illa semperque florens amoris virtus, peccatorum nostrorum concussa nutibus, contremiscet. immo vero, tantum abest, ut se à nobis distrahi atque divelli patiatur, ut nihil optet ardentius, quam in uno eodemque pectoris domicilio perpetuam animorum nostrorum societatem & conjunctionem. Quis igitur erit ita durus ac ferreus, qui tanti aspernetur convictum amici? quis tam ferox & inhumanus, qui ad fores adstanti, & se nunquam introduci conquerenti, deneget hospitium, qui summæ felicitati non adscribat, posse cum mundi procreatore quam sæpissime colloqui, adesse una in iisdem ædibus, una eademque vita vivere, ac pæne ex eodem ore spiritum ducere, & in his ærumnis atque miseriis summa quadam animi tranquillitate potiri, non ex rerum fluxarum jucunditate orta, sed ex perpetuis Beatorum gaudiis atque deliciis derivata? O vere fortunatos illos, apud quos tantus divertit hospes! ô prope beatos, quos Deo frequens conciliavit hospitium, & conspirantibus in unum animis amicitiæ vinculo colligavit! nam quum amoris mira quadam & inexplicabili ratione perficiatur, ut amicorum uterque, à seipso recedens, in alterum quem diligit, tanquam in suam sedem ac domicilium, abeat, ejus mores imitetur, totum se ad illius nutum & voluntatem effingat, ad ejus vocem suos etiam sonos inflectat, nec modo eodem amictu, eodem incessu, atque ille, utatur, ceteraque externa omnia, quæ facile assequimur imitando, consectetur, sed ipsam corporis totius effigiem, atque oris lineamenta, suis abstersis atque deletis, in se ipse, si possit, inducat: quid futurum nobis erit impedimento, quo minus, si in Christo fuerimus, si nostram voluntatem ita cum illius voluntate copulaverimus, ut ex duabus una eademque confletur, divinam quodammodo speciem & pulchritudinem animis referamus? Iam vero, amoris ardore liquefactus ac dilapsus animus, aut in res mortales aut in Deum sese diffundat necesse est. si igitur aquam, & liquida omnia, non modo ex Peripateticorum sententia, sed ab ipsa etiam magistra rerum experientia didicimus, quum rei cujuspiam terminis, ne diffluant, cohibeantur, in rei

in rei illius figuram habitumque formari: quis jam dubitet, si in Christum totos nos transfuderimus, quin sit divinæ illius in nobis pulchritudinis imago quædam ac species exprimenda? at fieri non potest, quin, dum hac luce fruimur, dum corporis custodia detinemur, rerum mortalium curis & secularibus negotiis immisceamur. esto. verum non, est tibi illis diutius insistendum, sed per ea, quanta poteris maxima celeritate, prætervolandum. nam si præterfluens amnis, aut vix aut nullo modo, conclusa autem aqua facile, corrumpitur; nonne, si properantes nostræ ad cælum cogitationes hic diutius remorentur, facile computrescent? Evola igitur per has vitæ hujus commoda, atque pertransi; eaque levissime, quantum sat erit ad vitæ usum & necessitatem, attinge; ut, quemadmodum ventorum impetu, pulsuque remorum, ita per æquora fertur navis, ut ejus vim & incitationem aspicias, vestigia ingressumque non videas: sic nulla fere tuarum vestigia cupiditatum in terris impressa resideant; quæ, si quidem in solo, quum calcatur altius, pedibus cedente signantur, non abnuo, immo gloriosum duco, te humanis opibus atque divitiis, pedum tuorum signa ad contemtum & perpetuæ ignominiæ notam inurere. nunquam enim, nisi adscensurus ad Patrem, Christus sua terræ fixit vestigia. ut scilicet nobis ostenderetur, tanquam salientibus, quo altius in sublime feramur, terram esse acrius ante premendam, & humana omnia adversis vestigiis impellenda.

ORATIO VII,

DE PECCATO.

FVit hæc non modo, Auditores, Christi Salvatoris nostri, ceterorumque Sanctorum, verissima certissimaque sententia, culpa & peccato nihil homini accidere horribilius posse, aut magis pertimescendum; verum etiam veterum Philosophorum atque sapientum fere omnium opinio. quorum licet variæ multumque inter se dissidentes pugnantesque familiæ, frequentes tamen com-

muni

muni consensu, quasi pedibus, in hanc eandem sententiam ivere. Hinc illa quorundam incredibilis extitit, in voluptatibus quoque usitatis atque permissis, continentia; hinc illa honorum & rerum humanarum despicientia, perpetuaque in proposito susceptoque consilio gravitas & constantia. intellexerunt nimirum, eo minus in aliquod peccati genus delapsuros se esse, quo sibi ipsis magis ad omnem cupiditatem aditum præclusissent. Atque hoc etiam magis ab omnibus istorum est admiranda diligendaque sapientia, quo illi, non fide divinitus hausta, sed insita in omnibus naturæ lege, non præmiorum æternorum spe atque expectatione commoti, quum eorum plurimi, una cum corpore simul animum interire, putarent; non metu pœnarum perterriti, quas idcirco inventas esse crediderant, ut aliqua invita formido improbis esset posita; sed communi voluntate virtutis & officii præciderunt sibi ipsi istam licentiam, libertatemque vivendi. Quapropter gravissime verissimeque Salvator hominum Christus improbissimas multorum cupiditates à Tyriis, à Sidoniis, à Ninivitis, in crimen atque in judicium vocandas esse prædixit; quod, quum illi divino illustrati lumine perspexissent, quam fœdum ac perniciosum esset, vel minimum à religione officii declinare, quum cognovissent, verissimis gravissimisque pœnis nos à peccatis avocari, contraque spe post hanc vitam uberrima atque præmiis ad virtutem amplissimis allici, tamen ita vitam instituerint, quasi hæc longe remota ab eorum opinione intelligentiaque fuissent, nihilque debere existimaverint hominum cupiditati esse clausum, sed libidinum peccatorumque omnium patere in vita licentiam. Verum istorum tanta perversitas, si recte inspiciatur, vel ob hanc causam corroborari ad audaciam solet, quod sua homines scelera & cupiditates, ad propositam voluptatem, non ad futuri temporis judicium, conferant; quodque, ut plurimum videant, prolapsa fere in immensum effrenata hominum ad peccandum audacia atque licentia, à præsenti supplicio se Deum continere atque reprimere. ita fit, ut singularem hanc Dei optimi maximi clementiam, seu potius patientiam miram & incredibilem, non virtutis sed libidinis habeant incitamentum. ô scelus!

ô por-

ô portentum! ô audaciam immanem ac deteſtandam! idcirco ne ſceleſtus aliquis exiſtimabit, nullum impudentiæ nequitiæque ſuæ finem eſſe relictum, quia videat non in primo gradu injuriæ reſiſtere irati judicis ſeveritatem? quod enim noſtræ ſalutis rationem ad futuri judicii diſcrimen reſervare ſolitus ſit, idcirco ſibi omnia à divinæ legis præſcripto atque ratione ad voluntatem atque libidinem ſuam tranſlata eſſe videbuntur? Quæ quum ita ſint, operæ pretium nos eſſe facturos exiſtimo, ſi cæcis iſtorum tenebris, qui in aliquo peccati genere verſantur, ſi non ornatæ, certe ſalutaris, orationis facem prætulerimus, ſimulque breviter oſtenderimus, quanto ſuo periculo ſe in tot ſcelerum flagitiorumque ſordes ingurgitent. Atque ut ad rem ipſam aggrediamur; primum, qui ſe letali ſcelere contaminavit, æternum quoddam & capitale Dei in ſe odium ſtruxit. quæ quidem moles, eas ruinas, tamque graves, edit, ut ullis naturæ viribus reparari non queat. Quid agebas, ô infelix anime, quum viam in te ſceleri aperiebas? aliquid ne aliud, quam, ut in te perniciosam tabem effunderes, qua ſtatim à Chriſto, nimirum à ſpiritu quem duceres, à vita qua viveres, excluderéris? quid enim calamitoſo animæ diſſidio, præter mortem, corpori ipſi creatur? Verum, quoniam animi fere omnia ad corporis ſimilitudinem diriguntur, facite, vobis veniat in mentem, Auditores, funebris illa malorum cohors, qua mors comitata in corpus irrumpit; ſimulque cogitate, quæ & quanta è corpore bona, tanquam poſſeſſione pulſa, decedant. ea primum egreditur, quam omnes admirari ſolebant, pulchritudo; ſucceditque in ejus locum horribilis monſtruoſaque deformitas. quid eſt enim tam pulchrum ad aſpectum, quidve, quod oculos omnium magis moveat, quam ipſa hominis ſpecies atque figura, ſuis animata ſenſibus, & coloribus quaſi luminibus illuſtrata? hæc, ut primum eſt vitali ſanguine deſtituta, in eam turpitudinem deformitatemque convertitur, ut, quos antea recreare aſpectu ſolebat, nunc horrore metuque afficiat. denique, quum ea pax, qua illæ quatuor inter ſe contrariæ diſſidenteſque naturæ, ne qua pugna exiſteret, copulabantur, animæ deceſſione diremta ſit, reſque ad certamen contentionemque deducta, neceſſe eſt extremam

mam totius corporis corruptionem consequi, ex eoque vermes procreari, & intolerabiles odores efflari. ad hæc atque alia multo graviora mala animus ex interitu delabitur. quid eo pulchrius animo, cui Deus inhærebat, cui Christus vita erat, quæ species ne excogitari quidem poterat ornatior, quum in eo ipso, à quo ortum duxerat, admirabiles amores excitaret sui? at hic, amissis cælestibus donis, sine Christo, tanquam sine anima, sine spiritu, in eam turpitudinem monstrositatemque immutatur, ut, si, quemadmodum animis, sic ea sensibus percipi posset, nulli tam duri oculi reperirentur, qui immorari in ea, ne ad breve quidem tempus, possent. Etenim, si in deformitate corporis id habet turpitudo offensionis, ut sæpe multi, quibus per quietem monstra se ostenderint, cohorruerint, aliqui in morbos incurrerint, nonnulli aliquando vitam amiserint; quanta illa depravatio & fœditas turpificati animi videretur, quam summus ille mundi arbiter Deus, tanquam singularem aliquam pœnam apud inferos constitutam improbis esse voluit! quid erat tam Deo simile, ut Basilius inquit, quid clarius & expressius divinam illam præstantissimamque naturam & pulchritudinem quodam modo repræsentabat, quam ipse ille, quem cum Deo mutua animorum conjunctio, præcipuo quodam amoris nexu, devinxerat? ut non tam hæreditatis vel adoptionis jure, quam hac eximia præclaraque forma, quasi cognatione, Dei optimi maximi nomen videretur attingere. Si, quum eandem in duobus membrorum compositionem conformationemque lineamentorum intuiti fuerimus, in eam cogitationem tacite deducimur, ut suspicemur, eosdem naturali esse inter se cognatione conjunctos, quod raro videamus naturam fratres aut filios à fratrum vel parentum similitudine abripuisse; profecto quid erit impedimento, quo minus quilibet animus, omni virtutum genere expolitus, depulsis vitiorum sordibus, Dei filius videri possit, quum in eo imago quædam divinæ illius probitatis atque justitiæ, non secus atque coloribus expressa, cernatur? eximiam istam ac pæne divinam sanctorum pulchritudinem regius Vates animo, quasi oculis, cernens, tam excellenti præstabilique forma obstupuisse, eosque deos & Dei filios

vocavisse

vocavisse se dixit. ergo, quid, quasi nova re aliqua aut incredibili intellecta, admiraris? quid, quasi progredi ulterius intelligentia non possis, in hac sententia diutius commoraris? quum videas, nitidos aquarum rivos radiis, à solis lumine mutuatis, fulgere ad oculos, eosdemque, luce à sole contracta, tenebris obtendi, tamen, quod assiduitate quotidiana, & consuetudine oculorum, hoc assueveris cernere; neque obstupescis, neque admiraris, neque ejus rei rationes requirendos esse ducis, quam semper videas; & in hac re hæsitabis? hoc te, quasi quiddam novum & incredibile, ad exquirendas causas excitabit, si intellexeris, tenebris & obscuritate eum animum involvi, qui in vitiorum sordibus hæserit, aut quem peccati nox opacaverit? Verum, quid ego in commemorandis tuis sordibus tanto opere laboro? quum, & mortuum te esse, & tanquam aliquod projectum cadaver, Dæmonum, quasi ferarum, immanissimarum dentibus, ac multo magis rapacissimis tuæ conscientiæ morsibus, disrumpi atque discindi, ratio & veritas ipsa convincat? O conditiones miseras iniquorum! ô rerum vicissitudinem deplorandam! ô infelicem animam, quantas tibi malorum moles exaggeravit, quæ te illexit in scelera cupiditas! ignoras plane miser, quam magnas tibi calamitates tuæ flagitiosæ libidines pepererint. nescis, insane, nescis, quam immensas lateque patentes tibi ruinas patefecerit, quæ te vorago vitiorumque gurges absorbuit. tu, in quem paulo ante, divino ac singulari beneficio, nova atque admirabili ratione ineffabilis trium divinarum personarum majestas, tanquam in domum, includebatur, qui, mentis ac voluntatis conjunctione, prope unum atque idem cum Deo eras, qui ita illi carus eras, ut non aliam in partem libentius divertere, quam apud te, mallet, quasi sine te esse non posset, quem omnes beatæ cæli mentes colere ac prope venerari solebant, quæ semper propter te esse, tibique in famulatum dari, in summa gloria ponebant, ita ob peccatum summa hac felicitate evertebaris, ut exiens à te Deus, te Dæmonum inveterato in nos odio, superbiæ, nequitiæ, crudelitatique addiceret, tuarumque te cupiditatum monstris, in diversas partes trahentibus, quasi discerpendum dilacerandumque relinqueret. Proh Deus immor-

immortalis! fieri ne poteſt, ut tanta mentes hominum caligo invaſerit, ut, quantas in ipſos calamitates effrænatæ eorum libidines effuderint, plane non videant, tantus ſtupor oppreſſerit, ut, quibus conſcientiæ ſtimulis continuo appetantur, ulcerentur, conficianturque, non ſentiant? ut etiam intolerabilem odorem illum, qui extincto ex animo, & in gremio immaniſſimi pectoris ſepulto efflatur, eorum prope ad nares non ferri demirer. nam, ſi verum eſt, quod à philoſophis ſapienter eſt dictum, quo res nobiliori ſeu præſtabiliori natura prædita eſt, eo vita functam majorem ex ſe gignere corruptionem, fœdioreſque ex eadem excitari ſpiritus; quam tetros quam fœdos ex anima odores afflari putatis, qua nihil eorum, quæ à Deo prodierunt, ſi Angelos excipias, præſtantius effluxit, nihilque reperitur in mundo, quod propius ad divinam naturam videatur accedere? profecto tam peſtifer hic halitus eſt, ut, quemadmodum putrida mortuorum cadavera, ne odore eorum teterrimo aërem inficiant, animalia necent, civitates deleant, aut igni conſumuntur aut terræ viſceribus includuntur; ſic plane extinctus animus, ne quid, ut ita dicam, ab eo contagionis ad illam feliciſſimarum mentium abundantem bonis vitam beatiſſimam permanare poſſit, æternis inferorum ignibus dedatur, atque infra omnes terræ cavernas, infra omnes mortuos, amandetur. Verum, non modo ob peccata ab arctiſſima Dei conjunctione ſejungitur, non modo à vita relinquitur, verum etiam ſuppliciis omnibus, nefariis hominibus conſtitutis, obnoxius, perpetuis ignibus, ut dixi, in omnem æternitatem excruciandus & comburendus, addicitur. quæ eſt enim materies tam facilis ad exardeſcendum, quid tam, ad concipiendum ignem, paratum, quam reſecta à vite ſarmenta? quem ea exitum, ſi prætereuntes occurrerint, ad extremum manet, niſi ut in faſciculos colligentur, atque in ignem conjiciantur? quid ſpei tandem ſaluti eorum ſubeſſe putamus, qui, ſucci nihil ex ea, cui inſunt, planta trahentes, exaruerunt, niſi, eos hanc unam ſpem, ſeu potius deſperationem, manere, ut à Deo, tanquam ab agricola experto ac diligenti, à Chriſti corpore ſegregentur, ac denique ſatanæ tradantur ad incendium? quod ſi tibi hoc

ex re

ex re dispari parum simile ad eam rem, qua de agimus, explicandam traduxisse mea videatur oratio, aut dubites plane, non ita se rem habere; audi Christum ipsum, referentem hæc omnia ad vitium agricolarumque similitudinem, tibique prorsus similia minitantem, nisi fructus tali vitæ dignos edideris. *Si quis*, inquit, *in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* quum enim antea Patrem Deum, tanquam nobiliorem personam si cum Christi humanitate conferatur, nobilius etiam munus insistentem induxisset, se vero, tanquam hominem, viti, nos vero palmitibus, qui ejusdem sunt prorsus naturæ cum vite, comparasset: Si quis, inquit, sese nimium fuderit, luxuriansque silvescet sarmentis, omnem illi, qui se in eum fundit, succum subtraham, planeque deducam; quid igitur mirum, si statim arescet? quid mirum, si Pater meus, tanquam bonus agricola, quidquid erit nactus in hac arbore, vel silvestre vel aridum, id statim amputaverit, ferroque coercuerit? non decent talem truncum steriles rami; at multo minus aridi: amputentur ergo, & à me projiciantur; &, quandoquidem nullus in iis usus esse potest, quam ad ardendum lateque fundendum incendium, aggerentur à Dæmonibus in eos faces, ac demum ab eisdem in inferos, perpetuis illis alendis seu potius augendis ignibus, exportentur. Postremo illud quoque inest in scelere mali, ut adeo mentis, ut ita dicam, perstringat oculos, ut, quibus undique septi simus, pericula non intueamur, & usque eo consilium impediat, ut summus furor atque amentia consequatur. Nihil est, Auditores, quod mihi tanto opere admirandum videatur, quam cogitare, quodvis vel minimum capitis fortunarumque periculum, quamlibet vel levissimam curam, ita animum excitare, eumque sub pectore fixam in varias partes versare, ut somnum ab oculis revocet, atque omnem ab animo jocandi voluntatem eripiat, contra eos intueri, qui aliquo scelere constricti teneantur, quum, tot jam conscientiæ scelerumque testibus convicti, de damnatione sua dubitare non possint, quum maxima, eaque sempiterna, supplicia effugere se nulla ratione posse, certo sciant, nisi mutata velificatione ad pœnitentiæ portum confugerint,

gerint, quum pæne, discedente terra, immensa aliqua voragine aut gurgite absorbeantur, non modo soluto animo esse, sine cura quiescere, sine metu spirare, verum se etiam insolentius efferre, liberiore licentia, seu potius audacia, jactare, tempus voluptatibus luxuria flagitiisque conterere; potest ne aliud fortius argumentum istorum cæcitatis miseriæque depromi? potest ne manifestius eorundem amentia proponi, & quasi in aspectum adduci? tantus igitur, miserande, te stupor oppressit, vel, ut verius dicam, tantus furor, ut, quum te, execrandum Deo, detestabilem Angelis, quum omnes tibi bonos & esse inimicos & futuros scias, quum tantas tibi ruinas impendere sentias, in tot periculis, in summa, nisi te Deus adjuvet, salutis tuæ desperatione, aut insolenter exultare gaudio aut quietem capere possis? nonne repente, quamvis te dormientem arctissime amplectatur, omnis tibi somnus ab oculis excutitur, quum recordaris, te Dæmoni in servitutem adjudicatum, eive conculcandum, omnique suppliciorum genere excruciandum, traditum esse? cui si potestas à Deo esset, statim atque te à Christi societate distractum vidisset, lucis usuram tibi tam diuturnam non dedisset, sed statim supplicium de te quam acerbissimum sumsisset; neque solum nostri generis hostes, verum animalia cuncta, elementa atque adeo creatæ res omnes, tuorum à te scelerum pœnas expetissent. si angues, leones, & alia ejusmodi ferarum genera, quas Deus homini ab initio dicto audientes effinxerat, tamen vetus Parentum nostrorum scelus, qui Dei obedientiam abjecerant, ea nobis infesta atque inimica reddidit; quas credis adversus te, ob tua scelera, simultates suscepturas, quibus tecum præliis dimicaturas? nonne omnes sua in te crudeliter arma intenderent, immanitatem severissime exercerent? hæc te, pessime, lacerarent, te illa veneno necarent, te alia unguibus dentibusque discerperent. Verum, quamvis sine mente, sine sensu sis ut es, tamen te, ob periculi magnitudinem, nunquam neque vigilantem neque in somniis mente consistere oporteret; quamvis sis, ut es, violentus, & furens; tamen, quoties tuorum tibi scelerum veniret in mentem, quoties ad mortis memoriam revocareris, perterritum de somno excitari, furere etiam vigilan-

vigilantem necesse esset. at te non modo tuæ malæ cogitationes conscientiæque animi non terrent, non modo pœnæ terror non vexat, verum etiam nova semper scelera veteribus sceleribus addis. nullæ tibi aut avaritiæ aut libidinis inquinatissimæ sordes occurrunt, in quas te non statim libentissime, quasi sus lutulentus, ingurgites. O immanem audaciam! ô miserrimum hominem! tanta tibi terrorum periculorumque materies, tanquam Tantalo saxum, impendet; tu vero semper eandem coacervare, quo citius suo ruat pondere, non desinis? te bonorum nemo aspicere sine lacrimis potest; tu solus tuis maximis damnis non commoveris? quousque Dei patientia abuteris? ecquando tua te maxima pericula à summo furore atque amentia ad spem aliquam rationis humanitatisque traducent? an nescis, impure, inclusum illud Dei odium, multarum tuarum in divinam ejus majestatem injuriarum, posse se omne in te statim effundere? an te fugit, scelestе, tunc maxime in judicium ex Christi sententia te esse vocandum, quum tuus maxime furor in omni genere improbitatis nequitiæque bacchabitur? an ignoras, nequissime, tunc te sempiternis ignibus conflagraturum, quum maxime omnium libidinum turpissimarum flamma combureris? Quî igitur, id quod fieri solet, te conscientia timidum suspiciosumque non reddit? cur, quum tot sceleribus, quasi tot testibus, coarguaris, jam nunc judicium crimenque non horres? ut viris sanctissimis mirari sæpenumero contigerit, posse iis, qui aliquid impie scelerateque commiserint, diem aut noctem quietam esse, nec conscientia sceleris, & furore ex maleficiis concepto, excitari, & formidine agitari, ac perterreri, quasi furiarum tædis ardentibus. qui fieri potest, inquiunt, (si iis, quibus profitentur se credere, fidem adhibent ullam,) quum sciant, improba facinora æternis suppliciis post mortem vindicari, quum videant, nullum esse diem, nullam horam, nullum instans, mortis periculo vacuum, sed eam semper propter incertos casus imminere, quin semper timeant, quin singulis momentis divinæ justitiæ satellites in se irruentes aspicere, sibique, jam pæne ligari, ad supplicium rapi, atque, ut ita dicam, in eos, qui sunt apud inferos, ignes demergi, videantur? Ponite ante oculos,

Auditores, eorum quempiam, qui rei capitalis damnati in vinculis servantur; animadvertite, in quantas animi angustias adductus sit; cogitate, qui æstus, qui terror, quæ tenebræ, sint homini, omnium longe miserrimo: membra sopori nunquam tradere, semper cuncta, quæ audiat quæque videat, metuere, circumspectare omnia, & omni strepitu pavescere, videri sibi fores carceris aperiri, collo manibusque catenas injici, jam horribiles militum custodias circa se esse, carnificum manibus contrectari, denique supplicium de se quam acerbissimum sumi. infelix vero peccator, cujus pejori loco sitæ res sunt, à cujus opinione sempiterni supplicii pœna non abhorret, qui neque dubitat, posse ea, quam sibi exaggeravit, calamitatum mole repente opprimi; nihil tamen de salute sua solicitus esse, finem peccandi nullum statuere, in summo otio ac voluptate ætatem agere. quasi vero tantum tamque imminens periculum ad quemvis potius, quam ad se, pertinere videatur. Iob, vir ille sanctissimus, in cujus vita ne vestigium quidem ullum gravioris alicujus criminis apparebat, cujus singularis innocentia summis à Deo laudibus exornata est, in quem adhuc Dei gravissimum illud exstat elogium, de quo nulla unquam posteritatis ætas conticescet, nullæ unquam litteræ silebunt, omnem scilicet, quæ in mundo eo tempore esset, probitatem in ejus persona constitisse. hunc igitur virum egregium, atque omni virtutum laude cumulatissimum, ea fuisse vitæ conditione, sacrarum litterarum monumenta testantur, ut à spe semper, cui testimonium conscientiæ velificabatur, timoris æstu abriperetur, inque concitatum divinæ severitatis mare traduceretur: *Semper enim*, inquit, *quasi tumentes super me fluctus, timui Deum.* nullius enim rei similitudinem, ita aptam, ad eam rem explicandam quam voluerat, sumere poterat, ut hanc, qua adeo timorem de divino judicio suum exponit, ut pæne illum in oculis ponere videatur. quam ergo vitæ rationem virum omnium sanctissimum iniisse putamus? quo cruciatu timoris angi solitum existimamus? fingite cogitatione, si placet, horribilis alicujus tempestatis imaginem; in qua tempestate, modo summa tanquam montium cacumina superantibus, modo in immensam pæne vallium altitudinem deprimentibus

tibus se undis, parvo quis navigio invectus, hieme maxima, intempesta nocte, cælo undique tenebris clauso, jactetur: quem huic esse animum putatis, quid agere, quid cogitare existimatis, quum ejus oculis mille mortis obversentur imagines, quum mox aut ruituris in se fluctibus operiri, aut vorticibus absorberi, aut ad aliquod saxum dejici, infringi, comminuique se videat? quæro enim à vobis, num illecebris voluptatum tentetur animus. at, omnem repente libidinis ardorem, pelagi ferventis æstum extinxisse, respondetis. interrogabo vos, num ullam cogitationem habeat honorum, aut multum vulgi acclamationibus atque inanis gloriæ aura permoveatur. at, furentis tempestatis vi impetuque omnes honorum contentiones, omnes ambitionis motus tumoresque consedisse, dicetis. petam postremo, num fortasse divitias, ceteraque fortunæ bona, aliquo in pretio habeat. putas ne, statim inquietis, se mente ac voluntate in fortunæ bona divitiasque conjicere eum, quem eodem tempore cernas merces omnes è navi dejicere, atque in mare præcipites agere, quorum gratia tam longum iter habuerat, tam periculosam navigationem susceperat, tot vitæ discrimina adierat? Si igitur quempiam, adversa maris tempestate jactatum, ut vitam conservare liceat, voluptatum omnium oblivisci, bona fortunasque negligere videas propter magnitudinem periculi, magnopere admirandum esse non censes; at vero sanctos viros, quibus, quocunque aspexerant, semper ejusmodi periculum occurrebat, ut suæ saluti prospicerent, tale aliquid egisse admiraberis? nonne citius à salutari istorum timore pestiferam securitatem, & inanem fiduciam tuam, coargui necesse esset? nonne, à singulari istorum sapientia, singularem etiam dementiam & insaniam tuam rationibus oporteret necessariis addici? nonne talem tibi cogitationem injicere, talem vocem excutere, maximus hominum sanctissimorum terror deberet? me miserum, si ii, qui placido tranquilloque mari vehebantur; summo cruciatu animi, vitam agebant, verentes summopere, ne divinæ fluctibus iracundiæ mergerentur; quo timore angi vel potius terrore perhorrescere eos fas esset, qui iræ cælestis pelago, horribilibus ventis agitato atque commoto, tan-

tam mox tempestatem subituri feruntur? si valida navigia remis, ancoris, armamentisque omnibus, ac præcipue spe maxima, instructa, pæne cum salutis suæ desperatione confligunt; quanta porro eas naves desperatio invaserit, quæ fractæ, comminutæ, & ad navigandum inutiles, fractis ancoris, funibus ejectis, gubernaculis amissis, ab omni spe derelictæ, concitato mari fortunæ ludibrio futuræ pelluntur? O miseram ac deplorandam infelicis animæ vicem! quis nam tam illi duras iniquasque leges imposuit, ut pejori sit condicione, quam cetera omnia? quid nam ejus adeo saluti adversatur, ut, quum tanti sit ejus salus & incolumitas, ut non reliquarum modo rerum jactura, sed mundi totius interitus atque ruina, pro nihilo existimetur, si cum ejus labe atque pernicie conferatur, in eam tamen despicientiam venerit, ut res illi, quamvis vilissimæ, quamvis abjectissimæ, anteferantur; quæso, si unquam unum vel plures, aut pecuniam, aut rem sibi debitam, judicio persequentes, aspexistis, si eorum disceptationibus interfuistis, illorum recordamini, in quàm optimis patronis deligendis prudentiam, in sapientissimis & disciplina juris civilis eruditissimis viris adeundis diligentiam, aspicite, ut, vocati in jus, veniant, ut, citati respondeant, ut sint in suo jure defendendo, & probandis rationibus suis, acutissimi, in adversarii fundamentis oppugnandis ac plane evertendis, acerrimi: & ut quisque ingenio est hebeti atque tardo, tamen solertissimus perspicacissimusque evadat, cogitate, ut fidem judicum implorent, ut Deum hominesque testentur, ut forum atque subsellia inflexis ad miserabilem sonum vocibus impleant, ut studeat sibi quisque benevolentiam judicis conciliare, atque odium in adversarios struere, ut lectis atque illustribus verbis utatur, adeo ut nulla jam disertorum atque eloquentium hominum præcepta desideres, sed, ipsam demonstrationem accusationum, ac defensionum illarum, doctrinam esse non mediocrem putes. At vero infelix anima, quæ jam extremo ac sempiterno supplicio damnata est, & carnificum crudelissimorum manibus ad supplicii locum incredibili celeritate raptatur, ea inquam celeritate, qua orbes, qua astra, qua remotissimum illum cæli complexum moveri vertique videmus,

videmus, quæ ſane tanta eſt, ut eam Aſtronomi cogitatione aſſequi vix poſſint; nec quiſquam eſt, qui tantis ejus malis ſalutem quærat, aut miſeræ auxilii quidquam afferat. quis eſt tam durus ac ferreus, quis tam crudelis & inhumanus, qui, ſi quempiam duci ad ſupplicium videat, ſi vinctum catenis aſpiciat, tametſi recentia ſceleris ejus veſtigia contueatur, tametſi jure pœna affectum eſſe cenſeat, tamen, quum ea miſeria præditum videat, non ejus præſenti fortuna commoveatur, non ejus vicem doleat atque deploret? te ſolum adverſus te ipſum quibuſvis feris immaniorem, te quavis bellua crudeliorem, tuæ ærumnæ non premunt? tu ſolus in omnium bonorum gemitu lætaris? in tua ipſius calamitate triumphas? te, quem tantopere aliena damna afficiunt, non tui ipſius animi ſquallor, non luctus, non mortis acerbitas, non ſuppliciorum æternitas, à ſcelere ad partem aliquam humanitatis revocare poteſt? Quare, ſi quid in nobis mentis, ſi quid rationis, ſi quid conſilii ineſt, Auditores, noſtri tandem aliquando miſereat: &, ſi quis eſt, qui in aliqua culpa hæreat, precibus, lacrimis, ejus pœnæ ſe ſubtrahat, dum Iudicis animus flecti ad miſericordiam poteſt, dum eſt ad ignoſcendum paratus; nec ſuam defenſionem in eam diem differat, qua die omnes noſtri labores, omnes lacrimæ, omnes conatus, in juſto Dei furore atque iracundia, tanquam in ſcopulo, perfringentur.

ORATIO VIII.

DE RHETORICA DISCENDA.

PLurimum ſemper opis ac dignitatis in eloquentia conſtitiſſe, nemo eſt qui neſciat. cujus admirabilis ſplendor non tunc modo enituit, aut utilitas declarata eſt, quum eidem, illa dicendi magiſtra atque domina, Græcia faſtigium impoſuit, aut in hac ipſa Vrbe viri omnium eloquentiſſimi clariſſimique, Craſſi, Antonii,

Hortensii, Cicerones, viguerunt, sed etiam in aliis, quæ secutæ sunt id seculum, ætatibus maximam in Oratore inesse vim & amplitudinem, repertum est. Verum, tametsi post C. Cæsaris dominationem non adeo eloquentia ad honores consequendos privato cuique contulerit, omnis tamen utilitas in unius Ecclesiæ commoda redundavit. Etenim, ut de Iustino, Cypriano, Victorino, & ceteris, taceam, qui sæpius Christiani nominis dignitatem existimationemque à falsis impiorum calumniis vindicarunt; ecquod fuit tempus, quo tempore turbulentissimis hæresum tempestatibus Ecclesiæ navis jactata sit, quin eas quoque singularis alicujus doctrina, accurata quadam dicendi copia, represserit? Erupit, quemadmodum à sapientibus viris accepimus, quum ex diuturno bello recreare se tandem, & levare oculos, res Christianæ viderentur, illa ferox, immanis, detestabilis furia, sceleratus Arius, qui divinitatem discerpere distrahereque conatus, in omnes Ægypti fines, in singulas fere Asiæ provincias, in bonam etiam Europæ partem, opinionum suarum virus effudit: effulsere, eadem fere tempestate, in tam cæcis nubibus atque procellis, illa quatuor Catholicæ religionis fulmina, Athanasius, Basilius, Nazianzenus, Chrysostomus; quorum ictibus ingenti fragore tacta impietatis moles multorum annorum ruina dejecta est. Verum, non multo post, ferox hæc bellua, exciso capite, tanquam immanis hydra, aliis pluribus capitibus, revixit. inde Manichæi, Sabellici, Pelagiani, & plures aliæ hæreticorum familiæ proseminatæ. quid ergo? repente clarissima illa eloquentiæ Christianæ lumina, tanquam singulare aliquod præsidium, ad dubia Ecclesiæ tempora reservatum, apparuerunt; Ambrosius, inquam, & Augustinus, aliique, quos non idcirco prætereo, quod non admodum suam in confutandis ejusmodi erroribus operam probaverint, sed quod eorundem fere luminibus, istorum splendor, obstruxerit. hi itaque furentem hanc belluam, & vastare omnia cupientem, eloquentiæ gladio perculerunt, denuo ex eadem, humi prostrata, suisque sepulta sordibus, velut ex corruptione contagiosissima, Manichæa pestis excitata est; quæ quum Alexandriam occupasset, navibus Romam ex Ægypto trajecit: restitit illico

venienti

venienti magnus Pontifex Leo; illum dico Leonem, inter sanctos eloquentissimum, inter eloquentes sanctissimum; qui postea eandem, iisdem navibus, eodem unde conscenderat, fugientem, ita œcumenico Concilio restinguendam comprimendamque curavit, ut reviviscere non amplius posset. nullo fere tempore igitur ita afflictæ religionis opes conciderunt, quin, illo eodem tempore, eloquentissimi alicujus hominis ingenio sublevatæ sint. Immo, prorsus sic statuendum videtur, & majorem in Christiano oratore, quam priscis illis temporibus, dignitatem inesse, & doctrinæ præsidia requiri majora, & plura publicis rebus per eum adjumenta, quam per veteres concionatores, importari. nonne tantum in judicia atque conciunculas, tanquam in aliquem gyrum, compulsos esse eos, qui habiti sunt eloquentes, accepimus? nonne maximum specimen eloquentiæ dedisse putabantur, qui scelus fraudemque nocentis in popularis invidiæ flammam conjecissent? at vero Christianus orator omnino est à civilibus controversiis remotus; nihil de fundi aut hæreditatis jure agit; omnis est illi cum vitiorum atque scelerum monstris accurata & vehemens atque studio veritatis incensa contentio; ea tantummodo in controversiam & in judicium vocat, quæ à majorum institutis abhorrere, & fidei ac veritati repugnare videntur. deinde plurimorum fuit opinio, nihil fere prodesse, plerumque etiam obesse, doctrinarum ex intima arte depromtam cognitionem in oratore; ut etiam oratores summi, qui pectus ante, artium plurimarum scientia, complessent, omnino omnis eruditionis expertes ignarique videri voluisse, memoriæ proditum sit; quod probabiliorem hoc populo orationem fore censerent suam, si ne litteris quidem tincti putarentur esse: certe, qui oratori plurimum tribuebant, mediocrem in eo eruditionem doctrinamque desiderabant. at vis Christiani oratoris, professioque ipsa, polliceri omnino videtur, diligenter eum antea, quæcunque reconditis in artibus versantur, investigasse, eaque scientia atque memoria comprehendisse. quam enim habere vim poterit ad persuadendum, aut ad oppugnanda planeque evertenda adversariorum commenta atque mendacia, quæ non maxima exquisitaque doctrinarum om-

nium cognitione efflorescat atque redundet, oratio? Denique, tametsi ornati homines in dicendo, & graves, generi hominum utilitates sæpe maximas attulerint; si quis tamen eas recte dinumeraverit, multo plura detrimenta publicis rebus, quam adjumenta, per homines eloquentissimos importata reperiet. Quoties disertorum hominum ingeniis, ambitione præsertim exagitatis, seditiones in populo maximæ excitabantur! quoties homines nocentissimi, quorum nulla vitæ pars turpitudinis esset expers, qui ita in manifesto peccato tenebantur, ut non modo recentia scelerum eorum vestigia, sed ipsa pæne cubilia, cerni ab omnibus possent, unius oratione, judicum severitati eripiebantur! quoties sæpe multi, odio atque furore amentes, ad arma eloquentiæ confugerunt, quibus vel inimicos provocarent vel se lacessiti ulciscerentur! At vero hic noster Christianus atque omni laude cumulatus orator, etsi arma orationis semper teneat, quibus provocare improbos possit, ejus tamen omnis contentio non ad privatas injurias, non ad propria commoda, refertur, sed ad patrocinium Christianæ religionis, & ad ejus, qui lacessitur, utilitatem effunditur. Postremo sic ajo, Rebuspubl. Christiano oratore gravius aut utilius nihil posse constitui. ita enim, nisi quid me ratiocinantem fallit, à me ratio efficitur, concluditurque: Unde cædes, adulteria, sacrilegia, rapinæ, nisi ab ira, odio, cupiditate, ceterisque animi motibus, quum ii non satis reguntur à ratione, proficiscuntur? igitur, qui appetitus, longius evagantes, & tanquam exultantes, reprimere, aut eos rationi obtemperantes reddere, studet, hic cædes, rapinas, atque ejusmodi perniciosissima vitiorum genera, quantum in ipso est, à civitate repellit; qua re ne cogitari quidem utilius quidquam potest. at hoc Christiano oratori propositum est; nihil igitur illo utilius. Atque, ut cetera exempla missa faciamus, nonne statim Germania fere tota Principum suorum obedientiam abjecit, simul ac effractis pudoris modestiæque repagulis effusa est in omni intemperantia libido? nonne item, simul ac cupiditatis flamma exarsit, tota fere illico, odio, avaritia, crudelitateque flagravit? nonne virtutum omnium germen exstinxit, simul ac primum impurissima Lutheri decreta,

decreta, malorum omnium semen, excepit? tunc cædes, adulteria, rebelliones, tota passim Germania factæ sunt, quum pulsa ratione in cupiditatum dominatu, omnium rerum perturbatrix libido, collocata est. Proinde, quum tanta plane vis utilitasque in eloquentia versetur, ut, exceptis semper cælestibus auxiliis, omnes ei Christianæ Reipub. protegendæ partes tribuantur; si vobis, adolescentes optimi, Ecclesiæ dignitas & incolumitas cordi est, si vobis honori esse vultis, si ceteris mortalibus utilitati; toto jam pectore hoc studium, in quo vobis versandum esse duxistis, amplectamini, neque illa, quam diximus, tam exquisita tamque perfecta magnarum rerum atque artium scientia vos, incensos studio dicendi, deterreat; immo, quemadmodum ego sentio, multo vos debet ad id acrius impellere. Quid enim tam præclarum excogitari potest, quam illi doctrinæ deditos vos esse, quæ omnium artium maximarum studiis contineatur? quid admirabilius existere, quam omnium rerum, virtutum, disciplinarum, vim, scientiam, varietatemque complexos esse? in quarum singulis separatim qui elaboraverunt, magnam sunt ferme laudem adepti. quis gaudio non efferatur, dum cogitat, tantam ejus, cui studeat, artis esse gloriam ac dignitatem, ut, quascunque in oras disputationis regionesve delata sit, tanquam in proprias sedes venerit, quocunque ingressa sit, scientiarum longe maximarum instructu, ornatu, comitatuque incesserit? quis ad discendum non inflammetur, quum intelligat, quemadmodum è summis montium amnes in mare perpetuo labuntur, sic ex altissimo sapientiæ jugo in eloquentiam, tamquam flumina disciplinarum omnium, defluere? Verum hæc qui assequi se posse desperant, qui se ingeniis ad illa eruenda, quæ sunt in Philosophia, minus acribus & acutis esse sentiunt, qui ea, quæ de divinis rebus à Theologis traduntur, excipere se posse diffidunt, quibus ad ea, quæ Mathematicorum reconditis in artibus includuntur, perveniendi facultas non est, moneo, prædico, ut ex hac nostra schola decedant, & eloquentes evadendi spem simul abjiciant; ne, quæso, doctorem frustra fatigent, se ipsi crucient, alios impediant: qui demum verentur, ne in eloquentiæ pelago, tanquam scopuloso

atque

atque infeſto, ad aliquod ſaxum appellant, ad hanc nobiſcum navim non aſcendant, ſed nos ex portu, proſpero curſu, vela facientes intueantur. Affert, nec inficiabor, progredientibus ſæpe moram & difficultatem, viæ longinquitas aſperitaſque; verum hæc omnia, atque his multo graviora incommoda, jucunda loci, quo itur, memoria leniuntur. præſenti igitur animo ſitis; jam enim fiet, ut confecta navigatione omnem vobis moleſtiam ex animo præſens, quaſi portus, eloquentiæ tollat aſpectus, & ſummi labores veſtri, magna compenſati gloria, mitigentur. Quod ſi eloquentiæ parenti mirari tantopere contigit, quod, quum tot ſummi homines, & ſummis ingeniis præditi, ſe omni tempore ad dicendum contuliſſent, quum ſua præſertim ætate, fœcunda optimorum oratorum altrice, multo plures huic facultati, quam ceteris artibus, inſervirent, quum ſumma laus in eloquentia poſita eſſet, quum, ſpe uberrima & præmiis ad perdiſcendum ampliſſimis allicerentur, tamen vix ſingulis ætatibus, ſinguli tolerabiles oratores extitiſſent, ſuo vero tempore pauciſſimi, quos æquo animo ſpectare poſſet, invenirentur; quanto magis erit mirandum, non modo ſi è vobis plures, Deo bene juvante, ſummi oratores evaſerint, verum etiam, ſi quod in vobis homines veteris eloquentiæ veſtigium aſpexerint! quos plauſus excitabit, quos clamores commovebit, quas admirationes efficiet, ſi referta ſententiis, ſi ornata verbis, ſi pura, ſi dilucida, ſi apta, veſtra erit oratio! quum pauci, ac nulli fere, ſint, qui in hoc exercitationis genere verſandum eſſe exiſtiment, quum fere eloquentiæ ſtudia interierint, quum in omnia ejus præmia ceteræ quoque artes invaſerint, quum certe nullum ad opes & copias iter patefaciant. Quamobrem, Romani adoleſcentes, ad eloquentiæ laudem ſumma animi alacritate contendite; atque ex eo genere, atque in ea urbe, ortos vos eſſe recordamini, in qua ſumma dicendi vis, inventa atque perfecta eſt; neque quiſquam exiſtimet, poſſe ſe, remotis his ſtudiis atque exercitationibus, aut aliis doctoribus quam noſtris doctiſſimis Patribus, in hoc genere excellentem evadere. etenim, quemadmodum ceterarum fere bonarum artium, ita ſunt etiam in poſſeſſionem hujus omnium præſtantiſſi-

mæ

mæ facultatis, quasi ventris, nomine constituti, quam testamenti vel hæreditatis jure illis restituant, quos, tanquam heredes veteris eloquentiæ, procreaverint atque aluerint. Te vero, Famiane Strada, Princeps horum omnium adolescentum, summo ingenio, acerrimo judicio, singulari memoria adolescens, non tam cohortandum, quam summopere laudandum esse, judico, quod, adjuvante natura, accendente studio atque exercitatione, tantam jam sis facultatem adeptus, ut, quæ vix alii perfecta ætate summo labore, magnis diuturnisque vigiliis, assequi consueverunt, ea tu, anteaquam qualia sint intelligere potuisti, pæne puer didicisse planeque nosse videaris, &, anteaquam primum eloquentiæ vestibulum ingredi per ætatem potueris, in intima ejusdem penetralia pervenisse existimeris. Cujus virtuti quanquam faveo, Auditores, tamen non mediocriter etiam doleo, præclarum ejus ingenium, summos perpetuosque labores, adeo nostræ præcucurrisse industriæ, nullam ut aliis fere laudem reliquerit. Quo magis nobis laborandum vigilandumque esse judico, cavendumque, ne ab ejus flagranti studio, incredibilique solertia, tanto intervallo videamur abesse; vel saltem enitendum, ut eo quisque majori dignus laude habeatur, quo ad hanc miram & in hac ætate incredibilem dicendi vim & copiam propius accesserit.

ORATIO IX,

DE

CHRISTI MATRE ASSVMTA.

COmmunis cælo terraque lætitia ex glorioso Dei Matris, sanctissimæque Virginis, triumpho, Patres religiosissimi, ceterique auditores ornatissimi, Angelorum atque hominum animos, ad triumphantis merita prædicanda, admirabili inter se voluntatis nexu devincit. Etenim, diversis quidem de causis, sed in unam

Virginis

Virginis gloriam, contendentibus æque ab Angelis atque ab hominibus, tam in illis Beatorum ſedibus jucundiſſimis, quam in hoc exilii atque ærumnarum loco, ad memoriam nominis ſempiternam, feſtus hic dies agitatur: ab Angelis omni quidem genere laudis celebratur, quod ſummi regis matrem, jam præſentem, & tanquam ingens aliquod luminare additum, cælum nova luce complentem intueantur, quodque eidem, ſoluto mortalitatis vinculo, effractoque corporis carcere, de aſcenſu in illam ſempiternam domum, de ampliſſimo atque glorioſiſſimo ex fugatis hoſtibus triumpho, gratulentur: ab hominibus contra, ſuaviſſimis vocibus, ſummaque frequentia, exornatur; quod ſummopere gaudeant, poſt longa vota, poſt diutinas lacrimas precationeſque aſſiduas, ejus divinum filium maximo ac pæne intolerando Virginis matris deſiderio conceſſiſſe, eamque ex tot tantiſque vitæ hujus incommodis & moleſtiis exemtam, in feliciſſimis illis omnique jucunditate refertis Beatorum choris collocaſſe. exultant gaudio Angeli, quod cæleſtis regni diadema, fulgentibus ſtellis illuſtratum, expectatæ diu reginæ capiti impoſitum ſit, quod, ſuſceptis aptum laboribus, aditiſque dignum periculis, tantis eſſet virtutibus conſentaneum. hic vero tota lætantium cantu perſonat Eccleſia; quod, licet una nobis cum Virgine omne mors lumen extinxerit, & ad unius deceſſionem è vita, omnia etiam è terris ornamenta diſceſſerint, tamen rebus id noſtris prope deſperatis relictiſque perfugium, miſeris atque jactatis levamen, acceſſerit; nihil ut jam ſit, vel ab importuniſſimorum hominum malitia, vel ab humani generis hoſtis aſtutia, pertimeſcendum. Verum, ſi quæratur, ad quos potiſſimum ingentes utilitates & maximæ pervenerint, licet ſolis illis beatiſſimis mentibus felix ejus è vita diſceſſus bono fuiſſe videatur, quum ad illorum infinita gaudia æternaſque voluptates jucundiſſimus cæli terræque reginæ, Deique matris, aſpectus acceſſerit; perſpicuum eſt tamen, ſummam utilitatum omnium, atque bonorum præſertim, in homines redundare. Etenim beati. omnibus vitæ hujus incommodis moleſtiiſque perfuncti, in locum quietis & tranquillitatis pleniſſimum, tanquam in portum ex longa navigatione, venerunt, ubi

jactis

jactis ancoris, maximæ & expeditæ cujusdam securitatis, in qua vita beata posita est, nullis amplius agitari fluctibus, nulla abripi tempestate, nulla absorberi procella, jam possunt; sed habent pro comperto, fore se semper tum in maximis tum in æternis voluptatibus, nos vero, in hoc mari turbulentissimo, gravissimis & vehementissimis contrariarum perturbationum flatibus ita agitamur, ita jactamur assidue, ut, nisi se nobis patrocinantem divina Mater præbuerit, &, clarissimis distincta stellis cæli verticem tenens, nostrum iter, quasi dux nocturna cynosura, direxerit, maximo in periculo versemur, ne aut, amissis rationis gubernaculis, rapido cupiditatis æstu abripiamur, aut, de eo quem tenere debuissemus cursu paululum deflexi, in vada & in scopulos impellamur. Quæ cum ita sint, felicem hujus beatissimæ Virginis introitum in vitam beatam & æternam, quo omnium bonorum nostrorum origo & summa continetur, quanta maxima possumus frequentia & religione, celebremus. cujus quidem laudatio, etsi ad omnes Christianos pertinet, tamen haud scio an alicujus sit magis propria, quam nostra adolescentum, quos, in suam tutelam traditos, majoribus habet beneficiis obligatos. Equidem, quod ad me attinet, quamvis pæne opprimi me tanto onere sentiam, tamen, cum illis dicto audientem me esse oporteat, quibus non modo omnes studiorum meorum sed etiam vitæ rationes commisi, ita in hoc certamen prodire non dubitabo, ut tantarum laudum cursum, quanta maxima possim, celeritate conficiam. A nostris igitur cervicibus tantorum malorum mole depulsa, nobisque in possessionem veteris libertatis restitutis, quæ repræsentari, nisi liberatoris morte, non poterat, tandem Salvator noster, spoliis inimicorum onustus, & tantis cumulatus gratiæ muneribus, quanta capere humana natura, divinæ annexa, poterat, cæli terrarumque à Deo principatum acceperat. Verum, orbitati eorum, quos omnium gentium magistros, arcanorum mysteriorum conscios, testes rerum à se gestarum locupletissimos, elegerat, parentem Virginem, virgini commendatam, magna quidem mutui doloris solatia reliquerat; tantisper, dum delapsus è cælo Spiritus sanctus metuentium animos, à summo timore ac debilitate,

debilitate, ad incredibilem fortitudinem securitatemque traduceret, & nascentis fines religionis, orientis obeuntisque Solis regionibus terminaturos, contra iniquitatem judicum, contra inimicorum acerbitatem, contra regum opes atque potentiam, contra Iudæorum insidias, omnium virtutum præsidio muniret; cui etsi perspicua satis hæc Christi voluntas erat, atque adeo suas omnes appetitiones rationi obedientes habebat, ut, tanquam famulæ, eidem ad nutum obtemperarent; non poterat tamen, filii dulcissimi desiderio, usque eo non commoveri, ut mortem in beneficii locum non reponeret; quo, quam posset citissime, in Christi conspectum se committeret. Qualis erat, beatissima Virgo, tui pectoris ardor! quæ tuis erumpebant ab oculis lacrimæ! quæ voces ex ore prodibant! quæ & quantæ in te cupiditates cælestis patriæ, jucunda filii memoria, excitabantur! non est obscurus hic locus, Auditores; ita enim ad nostram institutionem se palam gessit in vita, ut præclaras ejus virtutes conjectura judicare non sit necesse. Igitur, qua interim in re elaborasse, qua voluptate desiderium sui dissidii lenisse, existimatis? quibus occupationibus, antequam cælum, & in illum beatorum conventum, adiret, ardentissimam sitim tolerasse putatis? At otio se dederat vel fœmineis luctibus, vel suum forte dolorem animi libera quadam oblectatione mitigabat. erras; non quies illam, non remissio animi, delectabat; non his pellebatur animi ægritudo solatiis; nemo unquam cessantem, nemo oscitantem eam viderat. quis enim in ea locus torpori & negligentiæ esse poterat, in cujus vita, nulla hora, nullum temporis momentum, vacuum ab insignis alicujus virtutis usu reperitur? quæ pars cogitationum ipsius deprimebatur in terram, quum jam omnes rerum inanium laqueis expeditæ ad cælum erigerentur, quumque, etsi versabatur inter homines, tamen videretur quodammodo vivere & habitare in illis cæli sedibus jucundissimis? nullum laborem, quamvis natu jam grandior, perhorrebat, non urgentis somni necessitas, non gravia senectutis incommoda, non productæ ad multam noctem preces, non defessa labore membra, non assiduis vigiliis & inedia confectum corpus, effecerat, quo minus libero atque expedito ad cælum

cælum cursu contenderet, & inexplicabilibus complexa Christum nodis, se cum illo conglutinaret. *Erant*, inquit Lucas, enumeratis discipulis, *hi omnes unanimiter perseverantes in oratione, cum Maria matre Iesu.* Ergo incensis & nunquam intermissis precibus, manens adhuc in corpore, supra omnes cælestes orbes animo peregrinabatur; in hoc curriculo se quotidie exercebat; in hoc opere dies noctesque urgebatur; non illa studiis sanctissimorum virorum obsecundavit solum, sed præfuit; non se comitem eorum pietati, sed ducem, præbuit. O vim maximam precationum assiduarum! ô virtutem omnium præstantissimam, sine qua nec ceteræ haberi possunt, neque ad breve quoddam tempus retineri! hæc est illa arx munitissima, in qua, præsidia defensionis suæ, constituerunt ii, qui cum hoste humani generis infestissimo confligantur; qui mundi oblectamentis, qui voluptatibus corporis, qui sibi ipsis, bellum atrox atque perpetuum indixerunt. hæc est illa mirifica quasi munitio ac moles, qua quidem adeo à freto divinæ iracundiæ sejungimur, ut, nisi hæc modica intercapedo intercedat, pæne millies in singulas horas toti ejusdem fluctibus operiamur. hæc est illa patrona præclarissima, quæ, judicis animo ad Dæmonis odium renovato ac revocato, & dolore vulnerum eorum, quæ pro nobis accepit, refricato, nos in possessionem salutis ac defensionis nostræ constituit. hæc depressos animos, & quasi demersos in rerum vilissimarum sordes, ad illud altissimum cæli domicilium erigit, ad res divinas contemplandas extollit. hæc, res, à nostris sensibus remotas, locorum intervallo disjunctas, præterito temporis spatio, tanquam tenebris, involutas, propinquas præsentesque facit, ac pæne statuit ante oculos ejus. Igitur viribus, quasi alis, animo quotidie, quandoquidem corpore non poterat, in cælum ferebatur, eoque comitatu, in Dei conspectum, in filii dulcissimi complexum, venerat. ubi quanta suavitate duci, quanta voluptate retineri, quibus blandimentis deliniri, solita esset, non equidem meæ esse opis existimem, non humanæ imbecillitatis, non hujus temporis brevitatis, explicare. hoc est plane illarum beatissimarum mentium opus, tuus etiam est, sanctissima Regina, labor, cujus hæc toties gaudia cælestia divinis sensi-

bus percipiebantur. sentiebat, Auditores, se nova quadam ac jucundissima voluptate perfundi, divina suavitate liquescere; ac pæne exultare sibi inter choros Angelorum videbatur; quibus jucundissimis amplexibus, quum prope eisdem quasi laqueis teneretur, eorum sæpe necessitatibus evocata qui sibi erant in tutelam traditi, sese libenter expediebat. O miram virginis caritatem! ô amorem maximum ac prope divinum! quid unquam tale, nisi de Christo, audivimus? magna profecto illa laus & admirabilis videri solet, suscepisse pro aliquo labores atque pericula sine emolumento ac præmio; summa profecto commendatio, quæque habeat uberrimam copiam ad laudandum, præcipuum aliquod commodum amici causa prætermisisse: at vero cælestes delicias neglexisse, æternas quasi voluptates abdicasse, quo aliis prodesse possis, hoc quidem per se tantum est, ut, id qui faciat, non is quidem sit cum hominibus comparandus, sed Deo simillimus judicandus. Igitur, tametsi beatissima Virgo cogitationes suas omnes defixas in Deum, tanquam unum in locum, haberet, tamen, quando erat necesse, bonam earum partem in aliorum utilitates & commoda derivabat. &, quemadmodum Martha olim à Christo postulaverat, ut Mariam, sororem suam, ad divini pedes magistri, salutaria vitæ præcepta tradentis, sedentem, pro potestate cogeret, suam cum ipsa operam ad cœnæ ministerium adjungere; ita etiam acciderat sæpissime, ut, si quando corpus, quod propter eos, quos filio suo gratissimos esse constaret, assiduis vitæ laboribus addixerat, sese in cælestia desideria ferentem animum, ad hæc munia pro parte subeunda, avocaret, suam cum eo ad communem utilitatem operam libentissime conjungere; satius enim duxerat, nullam cujusvis lætitiæ, etiam cælestis, rationem habere, quam committere, ut ejus officii pars aliqua, præsertim in Apostolos, desiderari posset. neque idcirco distractum in diversa studia animum, tanquam in contrarias partes, minus in preces intenderat. etenim si illi semper orare intelliguntur, à quibus nullum quidem tempus intermittitur, aut de Deo cogitandi, aut de hominibus bene merendi; nos in Christi matrem cessationem ullam vel minimam, in studio orationis, induxerimus, quum eum

semper

ſemper tenere vitæ curſum potuerit, ut quolibet temporis momento æterna virtutum omnium monumenta reliquerit? quoties igitur ad illam exiſtimatis Chriſti diſcipulos, quos habebat in liberûm loco, de rebus arduis ac dubiis retuliſſe, atque illius in deliberando prudentiam, in conſiliis dandis fidem ac religionem, admiratos eſſe! quoties, magno aliquo vel acerbo dolore commotos, ſe ad illam contuliſſe, atque in ejus ſermone & ſuavitate, immo potius in ejus ſuaviſſimo conſpectu, curas omnes doloreſque depoſuiſſe! quoties nova illa Eccleſiæ germina fœcundiſſima, petita ferro iniquorum, religiones omnes pari impietate exæquare nitenti, ad ejus aram præſidii confugiſſe, didiciſſeque, contemnendos eſſe iniquorum gladios, non pertimeſcendas Iudæorum inſidias, inimicorum injuriis occurrendum, & alacriter pro eo ad ſupplicium, tanquam ad palmam, feſtinandum, qui ſemel corpus, ut ſalutem daret, libidini inimicorum obtulerit, ſeque in cruciatus acerbiſſimos & in mortem crudeliſſimam, ſumma cum voluptate, tradiderit! quam erat in hoc genere frequens! quanta vi animi, quanto impetu, ardore, ſpiritu, vultu denique ipſo, perſuadere illis conabatur, ne, beneficio provocati, ſteriles agros imitarentur, qui multo minus efferunt quam acceperunt; ſed, quandoquidem ipſis jam omnis prærepta eſſet referendæ gratiæ facultas, cum illius tamen Imperatoris ductu auſpicioque, inferendis cælo armis, ſua ſaltem ſigna conjungere ne dubitarent, qui, in regni ejuſdem propugnatione extinctus, ſpiritum effudit in victoria! quas, ad inflammandos illorum animos, orationis faces adhibebat, ut ſæpe, non tam illis conſilium, quam incendium, tradidiſſe videretur! qua pietate, tendens ſupplices ad cælum manus, à Deo precabatur, ut filiis, ſibi cariſſimis, quos in ſpem cæleſtis regni produxerat, opem auxiliumque præberet, ut illis dignam Chriſtiano viro, dignam Eccleſiæ principibus, fortitudinem inſpiraret; &, ſi divinæ opis explorata quædam ratio, humana mente, concipi poteſt, talem exterritis fiduciam injiceret, ut Deum ſecum ſtare, & inflicta nomini corporique eorum vulnera, quodam quaſi clypeo galeaque, ſubire perciperent, quibus referendis illud etiam patriæ cæleſtis deſiderium aperiebat

I 2 ſuum,

ſuum, & dolorem omnium acerbiſſimum, ex longa mortis dilatione contractum, quaſi in eorum pietatem & miſericordiam, qui audiebant illam, refundebat. quæ nam igitur ſuſpiria, quos gemitus edidiſſe, quem lacrimarum imbrem effudiſſe putatis, dum pro Chriſti diſcipulis, dum pro Eccleſia recens nata, dum pro ſe ipſa, humiliter Deo & parenti filio ſupplicaret? Quapropter, tametſi inclinata jam voluntate in id, quo impellerentur, ſatis ſua ſponte propenderent; ita tamen revocatis in memoriam Chriſti beneficiis, iiſque reputatis quæ officii ratio poſtularet, quaſi currenti equo calcaria admoverentur, præcipiti fere impetu, qua ſeſe dederat ad eam rem via, rapiebantur, ut mortis pro Chriſto obeundæ ſtudio acerbiſſime dilacerari ac pæne mori viderentur; & eo uſque commovebantur, ut incredibili dolore animi quererentur, iram in hoſtibus conſediſſe, exorbendi Chriſtianorum ſanguinis ardorem deferbuiſſe, occidendique rabiem defeciſſe dolerent. his igitur ſtimulis eorum animi dies noctesque concitabantur, hæc una tantum cura, aliis ſolicitudinibus exoneratis, inſederat; non aliam, præterquam rerum à Chriſto geſtarum commemorationem, quaſi viam, quotidiani eorum ſermones ingrediebantur. nuſquam erumpentibus eorundem cogitationibus patebat aditus, niſi qua memoria rerum earum, quas ipſi oculis perceperant, iter effecerat. quoties de ſalutatione Angelica, de humana divinaque Chriſti natura in unam hypoſtaſin colligata, aliiſque arcanis Chriſtianæ fidei myſteriis, Dei matrem percunctantes multis verbis, ultro citroque habitis, dies noctesque integras conſumebant! quoties admiratione defixi obſtupeſcebant, quum ejus temporis mentionem feciſſet, quo tempore ſibi ad pariendum vicinæ temporibus exactis, propter tecti inopiam, in humili ac paupere tugurio Deum parere, & in frigore pernoctare neceſſe fuit, præterea Angelorum cantus, concurſus, obſequia, qui ex ſuis ſedibus proſilientes, cuncti ſe ad ejus pedes projeciſſent, & dominam ac Reginam ſuam ſalutaviſſent! ô quoties, quum in Chriſti mortis acerbiſſimæ mentionem, eorum tandem recidiſſet oratio, & parricidarum Iudæorum crudelitatis memoria, non cruciatuum acerbiſſimorum immanitate ſatiatæ, nos
ſanguine

sanguine innocentis expletæ, & præsertim fugæ turpissimæ recordatione, refricarentur animi, quasi obductus recrudesceret dolor, vidisses illico, veterem animi curam molestiamque renovari; nec gemitus modo, sed etiam ejulatus edi exaudisses. quoties tu quoque mitissima Virgo, ob amorem in eos incredibilem & singularem, his lacrimis ingemiscebas, & luctibus illorum non parcius ipsa flebas, quam illi lacrimarentur! quoties, ne omne eis prorsus ademisse solatium videreris, quibus ipsa deberes esse solatio, bono animo illo dolore pæne consumtos esse jubebas, commemoratisque iis quæ de Dei clementia & benignitate referuntur, pluribus verbis consolari dolorem illorum conabaris! Verum in ejusmodi colloquiis, Apostoli sanctissimi, magna quidem ex parte posita erant doloris vestri solatia; at Virgini, ardentiori Christi desiderio æstuanti, quasi quædam verborum faces admoverentur, multo semper illa vehementius ad mortis cupiditatem exarserat; cumque eum forte annum perfunctione illarum rerum, propter quæ in hac terrestri domo detinebatur, aditum ad tantæ spei eventum dare prospiceret, nihilque jam superesse, quod posset illi impedimento esse, quo minus castra moveret, vasa colligeret, & de hujus vitæ præsidio stationeque decederet; majores fusa in lacrimas, & ardentiori incensa studio immortalitatis, à Deo enixe petere cœpit, ut, si ei videretur, se custodiis corporis liberaret; & fortasse ad ea loca frequenter veniebat, unde cursum suum Christus in cælum direxerat, ut vestigium illud ipsum, in quo ille postremum institisset, contueretur, seque inde involatum dare cupientis, hæc quoque extrema & tanquam cygnea fuit vox & oratio: Quousque miseræ mihi, pater sanctissime atque optime, hic in terris morandum erit? ecquando istis me corporis molestiis liberaveris? quousque istuc mihi aditus patere non poterit? dum infirma illa discipulorum turba ducem aliquem & rectorem sibi poscebat, tametsi acerbissimum mihi esset, tamen vivere non recusavi, ne munus, mihi assignatum à te Deo meo, defuisse viderer. nunc vero, quum eorum sese timiditas in fiduciam, ignavia in fortitudinem, verterit; quum jam conspicias, nihil tuæ voluntati resistere, sed regum poten-

tissimorum arma, pauperum nuditati, sapientium & disertorum eloquia atque consilia, stultorum, ut ajunt, infantiæ, veterem impietatem novæ religioni, cessisse. Iam igitur, nisi tuo imperio alia quoque provincia meo accessit labori, meum animum hujus corporis vinculis, infer me in illum cœtum beatissimorum civium; votum meum imple: dum te etiam atque etiam considerare, atque oculos tuo explere liceat aspectu jucundissimo, te procul intueri, & quasi in ultima cælestis theatri cavea spectari propius non liceat, cupio. Verum, quum nihil sit tam incredibile, quod non convenire in Christi matrem potuisse credamus, existimare etiam licet, totum illum cæli senatum, data postulandi occasione, pro cæli domina ac regina, surrexisse, & humillimis precibus Deum & hominem Christum rogavisse, ut carissimam sui partem extra communis periculi sortem evelleret; quid enim tam indignum esse, quam Dei matrem sacratissimam, atque eidem ante omnes caram, eos, quibus ipsa odio esset, habere? quid esse minus ferendum, quam lumen illud clarissimum, cujus fulgore cælum illustrari & collucere oporteret, id apud illos in eorum urbe versari, quæ recenti eorum furoris incendio, quæ Christi cæde ac parricidio, quæ nefariis sceleribus flagitiisque, flagraret! quid dolendum magis, quam in illorum hominum turpissimorum domo, quæ adhuc Christi Domini ad supplicium rapti vestigiis impressa esset, præclarissima cæli ornamenta reponi! quid indignatione omnium dignius, quam illorum manibus, quæ adhuc sui essent regis sanguine respersæ, teneri, & illorum oculis conspici, qui nunquam satiati expletique ab illo lacerato vulneribusque cruentato corpore non potuerunt averti! Vna fortasse vox erat, ad hoc pari emissa consensu, ut, tanquam bonus imperator & æquus, strenuum militem, & labore defatigatum, confecto vitæ bello, missum faceret. quæ justissima matris postulata, Dei non reluctantem animum, in suam sententiam impulerunt; & divinæ ejusdem providentiæ visum est, tandem ut Christi potiundi & illorum æternorum bonorum aviditas, tanquam diuturna sitis, eo potissimum tempore expleretur. &, quemadmodum Hieronymus inquit, exoptatissimæ rei velox nuntius, fidusque divinæ voluntatis in-

terpres

terpres, Gabriel Archangelus, perpetuo virgini obsequio addictus eligitur. Iam vero, quod est ingenium tantum, quæ tanta facultas dicendi & copia, quæ maximum & incredibile illud gaudium, quo perfusa est optima atque sanctissima parens, expresserit? illa quidem, summa cum modestia gaudere, exultare, triumphare; sed, sicuti erat unicum probitatis exemplar, demisse Deo gratias agere, quod divina Christi benignitas jam parata esset extinguere omnem diuturni sui desiderii ardorem. nec multo post, accita Dei mors tandem imperio, roganti obviamque prodeunti, non asperas, non inimicas, non tristes, sed amicas atque suaves injecit manus, & multis quidem cum lacrimis & lamentatione Christianorum virorum mulierumque omnium, magno cum luctu & gemitu Apostolorum, qui illuc ex omnibus terræ partibus divino consilio convenerant, Dei matrem, cæli decus, bonorum præsidium, orbis terrarum lumen, extinxit. O fortunata mors, & omni vita dulcior & carior, quæ finis fuit adumbratæ vitæ, & initium solidæ & incorruptæ, quæ portus malorum, & terminus humanæ miseriæ, tanta cum voluptate reddita est ei, cui debebatur, morienti dulcis, decora Deo, immortali Beatorum concilio jucunda, terris, suis detractis ornamentis omnibus, funesta, sociis ac filiis, in solitudine & orbitate relictis, acerba. ergo, qui tibi dies æternæ jucunditatis atque lætitiæ initium attulit, idem quoque omnibus, qui te singulari religione colebant ac venerebantur, eorum, quibus adhuc abundarunt, solatiorum finem constituit; quæ hora tibi felix & gloriosa, eadem ceteris, interverso hoc cælesti divinoque thesauro, calamitosa ac tristis illuxit. cujus quidem corpus, quum ex oppido exportaretur, quod fuisse creditis impiorum gaudium, qui existimabant, homines in oblivionem eorum crudelitatis atque facinoris esse venturos, si etiam Christi matrem, tanquam indicem sui sceleris, sublatam esse vidissent? quem conventum mulierum factum esse arbitramini, quum, ut credi facile potest, illud quoque corpus mox felicissimo illi spiritui, æterna societate, conjungendum, ungerent unguentis, complerent coronis & floribus, &, ut tenuissimæ earum opes ferebant, thure odoribusque incensis, usque ad

ſepulturæ locum, proſequerentur? quem fletum, majorum natu, quorum fere omnes illum quoque diem memoria tenebant, quo die illa innocentiſſimum filium extremo ſummoque ſupplicio affectum viderat, & dolorem omnium acerbiſſimum, tanquam aliquod telum, totis animæ viſceribus hauſerat? quam diſſimilem hunc diem illi diei videbant eſſe! tunc enim, ab omni ætate hominum atque ordine, acerbiſſimo quodam morſu doloris dilaceratam fuiſſe viderant, atque omni genere crudelitatis & ſuppliciorum enecatam in filio; nunc vero cernebant animo, tanquam oculis, eandem ipſam, exhauſto univerſo dolore, tanta & tam incredibili voluptate perfundi, ut nullius non modo flumen ingenii, nulla dicendi aut ſcribendi vis & copia, narrare, ſed nec cujuſquam mens & cogitatio capere poſſet illius animi divini gaudia cæleſtia; tunc genti turpiſſimæ & impuriſſimæ, vita ejus in ſumma paupertate vel potius egeſtate tranſacta, virginalis oris pudor, animi demiſſio ſingularis, veſtitus aſperitas & moderatio, deſpicatui fuerat atque contemtui, nunc vero videre videbantur eandem, ſplendore virtutum clariſſimarum illuſtrem, omnis anteactæ vitæ fructum percipere magnum, immortalem, ita ut non modo præſentis diei gloriæ nulla unquam allatura eſſet finem ætas, ſed eadem floreſcens in dies magis ſe etiam refunderet in poſteritatem, & futurum aliquando eſſet, ut, propter eximiam ſanctitatem, etiam hoſtibus digna, quam ſanctiſſime colerent, videretur? feliciſſima igitur mors, & quavis vita, licet jucundiſſima, ſuavior. quod ſi ad ſpeciem præclara, ad aſpectum jucunda, ad æſtimationem pretioſa, Deo videri ſolet mors ſanctorum ejus, quanto magis ejus moviſſe oculos & delectaviſſe putamus felicem ſanctiſſimæ omnium virginis ex hac vita diſceſſum, cujus integritas, & innocentia ſingularis, digna potiſſimum fuit, quæ novo & admirabili & omnem naturæ vim excedente partu expleret diuturni deſiderii noſtri expectationem? Si, tanquam laborum & miſeriarum quietem, non ſolum fortiter, ſed etiam ſæpe libenter, appetiverunt ii, qui fere perpetuis vitæ incommodis atque moleſtiis conflictabantur, quod multas uno dolore animi & corporis pœnas ſæpe miſeris adimi intelligerent; quam

te illam

te illam cupide mater sanctissima atque optima adamasse crediderim, in qua una perpetuo omnes fortunæ fluctus, tanquam in saxo, frangebantur! si eam denique boni atque sanctissimi viri jucundam, & votis omnibus expetendam esse duxerunt, quod ea esset via in cælum, ubi illius præstantis divinæque naturæ pulchritudinem, acie mentis, divino lumine illustratæ, percipientes, affluentem bonis omnibus felicitatem consequerentur; non est dubitandum, quin hæc tibi certissima spes tam propinqui discessus objecta, omnium maximam jucunditatem attulerit, quum, ingentium meritorum frequentia circumsepta, haberes pro comperto, te in sempiternum tempus immortalibus bonis fruituram, &, quot dies, quot horæ, quot momenta tuæ vitæ, laborum plenissimæ, adderentur, totidem etiam tuæ maximæ gloriæ felicitatique deduci? Quæ cum ita sint, quid moror in terris? quin istinc ad vos, ô cælites, venire propero? quorum felicissima societate amores & deliciæ meæ continentur, quorum non modo ad aures, actionum & virtutum illius concentus vehitur, verum etiam in oculis splendor pulchritudoque defigitur, vel saltem, quum hoc fieri non possit, cur in his artibus pro mea virili parte non versor, quarum illa princeps fuit, & quarum adjumento ad cælum sibi viam communivit, æquitate, labore, temperantia, castitate, studio virtutis, odio peccatorum? quousque humi defixa mea mens erit? quousque cogitationes meæ, in illa cæli gaudia defigendæ, in luto voluptatum ac cupiditatum omnium totis vestigiis hærebunt? quousque levissimarum quarundam rerum, & quasi puerilium ludorum, vinculis, veluti tenuissimis quibusdam laqueis, contexto everriculo teneri me patiar? ita ne res abjectissimæ & sordidissimæ meum animum suo pondere ita depriment, ut, maxime in terram propendens, ipse se erigere nequeat, eoque, quo hominum Angelorumque Regina penetravit, feliciter evolare? Iam vero, quæ vox, quæ latera, quæ vires, vel partem exiguam possint commemorando sustinere earum laudum & honorum, quibus in cælo excepta est? Existimare licet, (sic enim cæli reginæ dignitas, sic Dei matris nomen, exigebat,) processisse obviam illi venienti Christum opt. maximum, feli-

poſſum, gaudebo tamen tua hac tam excellenti bonitate, &, quoties ipſum te intuebor, à quo nuſquam oculos dejiciam, toties de tuis maximis beneficiis, toties de tua incredibili caritate, toties de tua ſingulari ſapientia recordabor; qui, quum tibi, Dei formam gerenti, innumera Angelorum agmina ad nutum præſto eſſent, amore saucius, tua hac glorioſiſſima è ſede conſternatus, te in has ærumnas intuliſti, atque homines, tuæ erga eos benevolentiæ, præter alia, hoc quoque habere fortiſſimum pignus voluiſti. ego, anteaquam tuæ beatiſſimæ divinæque naturæ majeſtas ac gloria meos ad oculos perveniret, & in hanc feliciſſimam vitam introirem, mecum de tuo cogitans beneficio, ſatis mirari non poteram vim tui amoris immenſam, qui rem tibi tantam, tam novam, tam incredibilem, induxiſſet in animum; nunc vero oculis ipſamet cernens, quod aſſequi cogitando non poteram, admiratione propemodum obruor, & ſtupore pæne deficio, conſiderans, te tantorum exercituum Regem, quorum prope immenſis agminibus infinita cæli ſpatia complentur, tuam divinam majeſtatem natura mortali, quaſi ſervili quadam veſte, texiſſe, ut non modo nomen humano generi tuum ad tranſlationem criminis accommodares, non modo unum te communis culpæ reum ſubſtitueres, ſed etiam, quam damnatis crucem fixeras, tibi ipſi reſervares. quibus complexam Dei pedes humillimis verbis illi gratias egiſſe credibile eſt, quod qua cum omnes ejus labores, omnia pericula, partiebatur, etiam præmia communicaſſet. Verum, ut eo tandem detur orationi noſtræ digrediendi locus, quo maxime ad utilitates noſtras recaſura ſit; reputate cum animis veſtris, Auditores, quibus ſuſceptis laboribus, periculiſque aditis, tanta hæc, quaſi merces, rerum ab ea geſtarum gloria, & immortalitatis præmia ſucceſſerint; reperietis enim, maximorum meritorum laudem, atque omnia virtutum ornamenta, in Chriſti matrem confluxiſſe, quibus tanquam gradibus in cælum aſcendiſſe videatur. ſed nulla à Chriſto virtus ita in ejus laude poſita eſt, nullo ab alio fonte, ejus adeo felicitatem derivaſſe Chriſti voce teſtatum eſt, quam à ſingulari quodam ſtudio, quo vehementius in dies ſemper incitabatur, ut ſuas omnes cogitationes & ſtudia

ſtudia ad divinæ legis normam perſcriptumque formaret. Etenim, quum Chriſti verba, de loco ſuperiore, neceſſaria ad ſalutem præcepta tradentis, favore multitudinis atque omnium applauſu exciperentur, atque mulier una è circumſtantium turba exclamaſſet, O beatam quæ te genuit parentem, & cujus ab ubere lac ſuxiſti! immo, oportere eos perbeatos eſſe exiſtimari, reſpondit, qui aures ad Dei verba hebetiores non haberent, ſed eadem, percepta animo, obſepta memoria, eaque diligentiſſime cuſtodita, quaſi ex umbra ſæpius in exercitationem, tanquam in medium agmen, educerent; quid meam tu tantum matrem tali fœcunditate beatam prædicas? non ejuſmodi præconiis ejus ſingularis gloria fulcitur; non eo loco jacta ſunt altiſſima felicitatis ejuſdem fundamenta; aliud nempe eſt, quo vere beata appellari poteſt; Dei legem incredibili ſtudio amplexa eſt, & in ejus voluntate conſtantiſſime perſeveravit: proxime deinde ad hanc laudem accedit illa ſingularis & omnium linguis atque litteris prædicanda virginitas, cui quidem tantus honos, ſummo Dei judicio, delatus eſt, ut ejus ſanguine, tanquam humore collecto, illam coëgerit nubem, qua ſe intus includeret, quaque effuſo imbre terram large effuſeque rigaret. Nulla nota, nullo colore, nullis ſordibus alliti, in illam cæleſtem patriam ingrediuntur. ergo, qui adhuc ſunt in poſſeſſione celſiſſimi illius pudicitiæ & virginitatis faſtigii, vigilantiſſime illud contra carnis inſidias tueantur, ad ejuſdem conſervationem, ſpiritum & ſanguinem conferant, jugulum potius, quam pudicitiam, præbeant. Quos vero, aut vehemens perturbationum impetus, aut vis adverſariorum & importunitas, de eodem culmine dejecerit, alteram continentiæ arcem, ſcilicet caſtitatem, teneant. primum enim virgines, quemadmodum regius vates cecinit, poſt virginum reginam, ad Dei conſpectum producentur; quas deinde caſtitatis ſtudioſi conſequentur. *Adducentur*, inquit, *regi virgines poſt eam; proxima ejus afferentur tibi.* Qui igitur in prima aciei fronte, priſtinæ integritatis nitore conſpiciendi, cum vitiis decertare non poſſunt, in altero militiæ cornu conſiſtant. Tu vero, ſanctiſſima Virgo, quæ hodie ſupra omnes cæleſtes orbes evecta, ſupraque omnes beatorum ſedes conſtituta,

æquam

æquam laborum tuorum mercedem accepisti, respice nos, atque tuis precibus adjuva, quos jam olim in solitudine destituisti, nobisque pietatem à Deo ceterasque virtutes impetra, quibus in istam sedem æternamque domum ascendisti. Tui nominis æterna memoria cum hoc templo consecrata est: tibi hæc cura suscipienda est; tibi hæc opera sumenda; ut hic ornatissimus Romanorum adolescentum conventus, qui se tibi præcipuo quodam reverentiæ vinculo devinxerunt, pectora, omnium virtutum præsidio in hoc hujus miseræ vitæ bello muniant, postea, corporibus elapsi, vitæ tecum perpetuitatem pariter & gloriam consequantur.

ORATIO X,
DE DIUTURNA ÆGROTATIONE TOLERANDA.

NIhil est facilius, auditores, quam recte valentes ægrotanti consilium dare, eumque ad patientiam & gravitatem adhortari. Etenim, dum abest à nobis infortunium, expedita ac promta omnis ejus tolerandi ratio videtur: cum autem jam prope est in oculis, tum difficultates, quæ in ejus absentis quasi caligine ac tenebris delitescebant, emergunt, atque in conspectum nobis sese committunt, neque, æque facilem esse illius excogitandi atque experiundi rationem, ostendunt. Atque id plerunque etiam accidit, ut ea, quæ isti patientiæ magistri subtiliter disserendo magnifice jactant, probari in populis, atque in concionibus, nullo modo possint. Nam, cum ipsi sæpe minus, quam ceteri, præceptis decretisque suis obtemperare cernantur, &, qui dolorem virtute comprimendum esse docent, molliter in eodem ferendo se gerant, alterutrum efficiunt, ut vel re ipsa ostendant, etiam cum virtute conjuncta, ea esse ad tolerandum acerbissima,

bissima, quæ ipsi, eadem adhibita, vacare omni acerbitate contendunt, vel liquido probent, parum se sibi constare, quum iis rebus, quarum videri contemtores volunt, tantopere deinde frangantur. Ita miles, qui nunquam castra, nunquam hostem vidit, dum parietum umbris occulitur, dum inter epulas de instruendo agmine, de obsidendis urbibus, de eruptionibus in hostium castra, sermones infert, dum in ludicra armorum tractatione se exercet, facilis eidem videtur feriendi hostis disciplina; ubi vero idem se in pulverem & solem eduxit, ubi procul hostem aspexit, tum invadente animum timore, abjecto clypeo, spem omnem salutis in fuga constituit. Quod ne jure nobis objici aliquando possit, atque ne videar vos magis præceptis quam factis insequi ut erudiam; dicturus breviter, de diuturnis corporis morbis cum ratione ferendis, non, ad Philosophorum consuetudinem, longis atque contortis disputationibus rem totam involvam, sed ex multis, qui in hac patientiæ laude viguerunt, geminum in virtute par eligam, duosque in medium adducam, qui, diuturno ac miserando morbo affecti, perfectæ patientiæ munere functi sunt. Ac primum quidem statuam vobis ante oculos, non unum aliquem ex vetere Academia philosophum, philosophiæ præceptis instructum, vel hominem mediocriter à doctrina excultum, verum, ut existimare licet, plane omnis eruditionis expertem: non virum quempiam adducam, qui in Stoicorum manibus educatus, tametsi corpora tormentis excrucientur, etiamsi constricta doloribus membra teneantur, tamen omnino motus neget in animis ullos esse debere; sed eum potissimum sumam, qui in hac ratione vitæ nunquam habitaverit, sed fuerit in ejusmodi magistrorum familiis peregrinus atque hospes: non denique locupletem vel divitem aliquem producam, qui opibus, & copiis, valetudinis incommoda lenierit, sed paralyticum quendam, omnium rerum egentem, cui, præ inopia, nemo plane esset ad cujus ille curam & providentiam pertineret. Quam vellem hic eos adesse, qui, morbo aliquo impediti, lecto detinentur, & mecum fieri singularis hujus patientiæ spectatores: profecto alterutrum eveniret, ut vel hac eximia patientia, timore depulso, &

mulie-

muliebribus lamentationibus cohibitis, remitterent ac dilatarent animos, vel, ubi ratione nulla vincerentur, pudore fracti obmutescerent. Possuntne hujusce paralytici maximæ longissimæque calamitates, efficere jucundas alteri, mediocres & breves? Quis, obsecro, præ illo dici miser potest? Si, eo quod te mensem unum vel alterum dolor aliquis oppresserit, exclamas, atque id tempus vocas diuturnum; quid diceres, si annum unum, si plures, ægrotasses? Quamvis esses egregie fortis & patiens, tamen, si dolori cederes, prope dixerim te apud prudentes viros justam excusationis causam habiturum. Quis enim esset ita durus ac ferreus, quin diceret, nullam esse patientiæ vim tantam, quam non longinquitas temporis conterat penitusque consumat? Si ergo viro forti ac docto, propter diuturnitatem morbi, prope omnes ignoscendum arbitrarentur, si, ad extremum, nec fortiter nec viriliter ægrotavisset; quanto magis homini rusticano, indocto, neque ullam aliquam sapientiam professo, qualis hic erat paralyticus, gementi concederent, si non ita multorum dierum dolor omnem illi patientiam extorsisset è manibus? At, si idem rudis, imperitus, expers totius humanitatis, quindecim, decem, quinque tantum annos fortem se in eo morbo præbuisset; nonne ipsius imperitia, atque condicio infima atque depressa, talem vim animi ac tolerantiam ad incredibilem admirationem efferret? nonne id palam omnes loquerentur, Quomodo hic, sine ulla doctrina, constans in diuturno morbo reperitur, cum eos, qui se sapientes ac doctos appellari volunt, in longe breviore ægrotatione tam intoleranter dolere videamus? quomodo hic, cum sit in unaquaque re hebes ac rudis, usque eo potest dolori sufficere, cum ii, qui tanta habent ab omnibus disciplinis auxilia, se vinci ab illo patiantur? Cum autem hunc dicam paralyticum sordidum hominem & rudem, non quinque aut decem aut quindecim annos ægrum fuisse, sed octo ac triginta in lectulo quievisse, spretum, contemtum, neque tamen loco cessisse, sed, obsistendo dolori, homines stupidos & attentos ad ipsius patientiæ spectaculum tenuisse, quam vobis admirationem commovere debet, quos plausus, quos clamores efficere! Potestne tam incredibilis gravitas, tam inusi-

tata magnitudo animi, vel taceri ullo modo, vel dici pro dignitate? Video, auditores, quoniam tantum operæ ad audiendum datis, vos tantæ rei admiratione non mediocriter esse commotos. sed majorem multo in vobis admirationem illius verba concitaverint, quæ sunt ejusmodi, ut magis, perfectam absolutamque omni ex parte sapientiam, declarare explicareque non possint. Accedit ad eum Christus; rogat, num sanari velit. Quis adeo sit sine mente, sine oculis, sine sensu, quin summam in eo recuperandæ valetudinis voluntatem esse arbitretur? Videbant omnes, illum propterea iis in locis debilem jacere, ad quæ complures, eadem coacti necessitate, confluxerant: videbant, eundem omnium opem implorare, quo, cum ferret occasio, celerrime in piscinam dejiceretur. quid ergo erat, quod quisquam de illius animo dubitaret? qui si ita patebat, pæne ut oculis cerneretur, cur illi intercludebatur, cui nulla erat cogitatio tam clausa, tam recondita, quæ non eidem apertissima promtissimaque esse posset? Non est igitur dubitandum, quin illi ejus voluntas fuerit penitus nota atque perspecta. Quorsum ergo interrogat, Visne sanus fieri? Non est difficilis quæstio, si optime Christi ratio teneatur: intelligemus enim, quæ causæ fuerint ad centurionem respondendi, Ego veniam, & curabo eum, eas ipsas causas fuisse de isto quærendi, num sanus esse cuperet. Quis dixerit, ignorasse Christum, quid esset centurio responsurus? Immo vero, quia id norat optime, quo fides incredibilis unius cujusdam militis ejusdemque peregrini obscura & latens illustraretur, talia ex illo verba elicuit, quæ, dum res Christianæ stabunt, in rebus divinis faciendis usurpabuntur: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus.* ita, quia non erat ignarus, quid esset hic paralyticus responsurus, & simul, quo esset unde quisque disceret toleranter dolorem pati, interrogando & respondendo, eo illum deduxit, ut ea diceret, in quibus omnis posteritas obstupesceret, in quo omnes exclamarent, O virum fortem! Sic se profecto res habet, ut existimem, detrimentum nos facturos fuisse, si huic, silentio, salus à Christo restituta esset. unde tam promta tamque expedita ad dolorem tolerandum

remedia

remedia depromerentur, si adeo efficax exemplum non permanasset ad posteros? unde disceremus, quod esset officium fortis & animosi viri, si illa magnitudo animi, illa virtus, in eo, in quo vigebat, compressa atque conclusa, in perpetuo silentio jacuisset? Itaque medicus animarum Christus, qui, in præmiis pœnisque constituendis, non tantum quid præsens tempus & causa postulet attendit, sed aliorum etiam rationem ducens, id, quoad ejus fieri possit, cum futuræ hominum posteritatis utilitate conjungit, quærendo, & sciscitando, vim quandam illi imposuit, responsione sua, ejus patientiæ, quam perspectam habebat, exprimendæ, ad eum finem, ut eam omnes aspicerent, admirarentur, eandemque sibi vitæ magistram asciscerent. *Vis sanus fieri?* lacessere, non percontari, videri potest Christus. Si de aliquo homine ærumnoso ac misero quæratur, num è suis molestiis eximi velit; hic profecto non auxilium sibi deferri, sed rideri miseriam suam, existimaret: nihil enim est, quod minus, miseri, quam se illudi, velint. Quisnam vir constans, & magnus, si se ita pungi confodique sensisset, quamvis animum patientia ac fortitudine contexisset, Christum non esset adortus jurgio? Quis Philosophus gravis, magno animo, & humana contemnens, non esset commotus, non ita respondisset? Tutemet vides, quot quantisque malis excrucier; conjicis ex hac meà ætate, prope jam exacta, me plures annos hoc eodem morbo conflictari; non ignoras, frustra me quotannis ad has porticus revolvi; & adhuc dubitas de mea voluntate? quæris an sanari velim? quasi cuiquam suave sit cruciari; quamobrem? nisi si quid est quod existimo, quia risui jocoque tibi sum. ad eamne rem nostra miseria est, ut agitata rideatur? parumne multa mihi accipienda sunt morbi, senectutis, egestatis vulnera, nisi etiam aculei facetiarum accesserint? Scimus, omnium fere ægrotantium animos esse nimis timidos atque demissos, præsertim si unum aut alterum mensem, si annum denique ægrotaverint. Quod si de magnitudine animi tantum diuturnitas detrahit, cui non sit credibile, omnem istius patientiam duodequadraginta annorum usu evanuisse? ô excelsum animum atque altum! ô incredibilem patientiam, dignam, quæ medita-

 ta nobis

ta nobis in perpetuum ad omnem usum similium rerum esse debeat! Cum Christi dicto tentari videretur, cum deberet, ex ceterorum consuetudine, illum male verbis accipere; tamen nihil temere dixit, nihil doluit, nihil questus est, sed æquissimo pacatissimoque animo respondit; *Nempe Domine, sed hominem non habeo, ut, cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam.* Potestne talis patientia, talis fortitudo animi, ad similem virtutem, mollissimum quemque non excitare? Ecquod unquam simile de ullo philosopho audivimus aut legimus aliquando? Multos accepimus fortissime se in dolore gessisse, sed alios aliis de causis. Multi dolorem contemserunt, eo quod brevis futurus esset. Multi sæpe homines nobiles & gloriosi, quasi in aliquo theatro essent, ad captandum plausum & gloriolam popularem, dolorem susceperunt fortiter ac tulerunt. alii, quamvis acriter morbo premerentur, tamen quia opibus, potentia, aliisque vitæ bonis abundabant, multitudine eorum & copia non nimium illud incommodum obruerunt. In hoc quid objiciant homines? illiusne patientiam, morbi brevitate, extenuabunt? octo supra triginta vehementer laboravit annos. an, laudis & gloriæ cupidum, eam pertinacem constantiam multitudini venditavisse? at erat apud omnes contemtissimus ac desertissimus, ita ut diceret, *Dum venio ego, alius ante me descendit.* an, multis suffultum bonis, cetera non ita desiderasse jactabunt? at ea mala, quæ pluribus fortuna distribuit, universa in se ipso experiebatur; morbum, egestatem, solitudinem: adeone desertus unquam aut infelix quisquam fuit? Videor mihi hominem videre, quotannis fonti illi imminentem, eique tamen alterum præcurrere, certamque spem salutis eripere. cerno animo, eundem, non unum aut alterum annum, sed octo ac triginta continuos, summam dare operam, ut ceteris ipse prior immergatur, neque tamen quidquam proficere laborantem. Accedebat id, quo nihil est gravius, quod eos, quos multiplicibus aliis periculosisque morbis implicatos viderat, iisdem liberatos aspiciebat, se autem arctius suo quotidie malo vinciri & constringi sentiebat. Quid enim ad dolorem augendum acerbius, quid ad patientiam convellendam robustius, quam eos aspicere, qui

modo

modo eodem atque nos fluctu verberabantur, ventos secundos habere, nos vero ad easdem syrtes scopulosque identidem navim offendere? Hujus equidem, ut ita loquar, invidentiæ tanta vis est, ut ad suas cuique calamitates augendas, efficiendasque longe graviores, plurimum conferat. Nam, quantum de miseriis aliorum detrahitur, tantundem in nos quodammodo transfundi videtur. Num sua cuique paupertas adeo onerosa est, quam cum est in comparationem alterius opum ac divitiarum adducta? num luctus, dolor, invaletudo, asperius quemquam urget, quam cum alterius voluptate, lætitia, valetudineque collata? Et tamen cum, ferens tot annos illam ægritudinem, ceteros videret, qui eadem de causa easdem porticus oppleverant, salvos domum rediisse, suæ autem calamitatis nullum neque modum neque tempus terminari, cum spem, quæ sola hominem in miseriis consolari solet, nullam pæne sibi reliquam esse intelligeret, non queritur, non despondet animum, sed pergit alacrior, certo statutoque anni tempore rursus eadem ad loca adire non gravatur. Desinant igitur homines enervati ac molles, cum quid ignave ac serviliter fecerint, ita causam suam constituere, ut, quo morbus fuerit diuturnior & gravior, eo se dicant majore excusatione, vel potius misericordia, dignos: se ipsos potius accusent, suam impatientiam damnent, quibus vix Deus propter peccata levissimam aliquam plagam imponit, cum clamant, vociferantur, &, nisi illorum precibus ac votis statim occurrat, totos se languori desidiæque tradunt, neque illud modo vehemens numinis deprecandi studium, quo antea erant incensi, remittunt, sed paulatim prorsus abjiciunt. Etenim, in Dei judicium vocatus, cum impatientiæ insimulaberis, si in longitudinem morbi confugeris, statim hic contra tuam defensionem suos octo ac triginta annos objiciet: si ex tua jam affecta ætate rationem salutis conquisieris, suos itidem canos ac rugas ostentans, hanc tibi spem maxime præripiet: si crimina levitatis & impatientiæ obterere inopiæ gravitate volueris, sua idem paupertate solitudineque acerrime tibi resistet. Et profecto tanti fuit, quod tot annos duobus gravissimis malis tanta contentione animi restiterit, cum maximos fecerit in

virtute progressus, cum, pulsis omnibus vitiis, quæ ex peccati culpa collegerat, melior atque perfectior ab ea calamitate sit redditus, cum ipsi gloriosior ea salus acciderit, quæ non ab Angelis, sed ab ipso Angelorum domino data sit. Verum non deerit fortasse quispiam, qui ut ab hac ejus culpa ignaviæ atque inertiæ, vestros animos in aliam partem opum ac dignitatis, qua olim alii floruerunt, commemoratione traducat, afflictam atque prostratam hujus miseri hominis fortunam commemorabit, sortis humilitatem ostendet; dicet, non esse mirandum, si se ita fortem in eo statu præbuerit, quo meliorem & præstantiorem antea non esset expertus; non continuo in summa laude huic esse ponendum, si se æquabilem in ea fortuna præstiterit, qua florentiorem nunquam splendidioremque vidisset. consuetudinis magna vis est, & diuturna perpessio malorum dolori quasi callum obducit: hic jam inde ab adolescentia miseriis assuefactus, patiendo ferendoque se quotidie magis ad firmitatem intenderat: tum venit plaga vehementior, cum è secunda fortuna, quasi ex adducto contentoque arcu, infortunii telum emittitur: tum dolor acrius pervellit, cum fortunatos homines & nobiles in summa prosperitate aggreditur. Itane? Quoniam placet, alium ego hominem, longe ab isto diversum, arripiam, eumque in oculis omnium conspectuque constituam, qui ex optima præstantissimaque fortuna, è summa omnium bonorum abundantia, ex prospera valetudine, in extremam egestatem, ægritudinem, in profundum malorum omnium, dejectus ita est, ut, si unum in locum ceterorum hominum res adversæ collocentur, lusus sint cum hujus infortunio comparatæ. Cogitate omnia, quamvis aspera, quamvis horribilia; hæc simul omnia de improviso sunt ab iniquo dæmone in virum innocentissimum & fortunatissimum importata; morbus, egestas, solitudo, mors filiorum acerba: & quasi hæc levia essent, præterea hæc eadem, tum fuga domesticorum, tum conviciis uxoris, tum odio & invidia amicorum inimicorumque, permiscuit. in quibus omnibus fuit animo ita præsenti & magno, ut unus hic natus esse ferendis miseriis videatur; neque, patientiæ ipsius demonstratione, ulla possit esse fortior, contra hujus vitæ

ærumnas,

ærumnas, disciplina. Atque adeo, ne putetis, hæc me oratorie, non Latine loqui, singula illius mala percensebo. Accipio primum egestatem, quam fere omnes in gravissimis malis ponunt, quam omnes deplorant, quam omnes reformidant: hæc, ut ostendam, fuit in Iobo non mediocris, non usitata, sed maxima, & inaudita. Quis enim de fæce ac de sordibus homo, non aliqua saltem obsoleta & lacera veste contegitur, vel, si ea etiam careat, non totus saltem fasciis pannisque devincitur? Hic vero, è summis opibus atque divitiis, in tantam mendicitatem brevi pervenit, ut hæc illi, etiam vilissima involucra, ejus miseranda fortuna ademerit: atque in id, quo nervi, quo ossa teguntur, carnem scilicet & pellem, adeo horribilem cladem ipse Dæmon invexerat, ut ulceribus plagisque undique discerptum atque discissum vermes, simul inde ortum & pabulum trahentes, fero pastu dilaniarent. Iam vero fuerit nudus, purulentus, sanie scabieque coopertus; at aliquo domicilio tugurioque tegebatur; hoc unum vel leve nactus erat tormentorum perfugium. Quam domum, quod tugurium nominas? vide, quanto fuerit pejore conditione, quam ceteri pauperes; quod illi, urgente vespere, si minus domo tugurioque, certe fornicibus & domorum protectionibus porticibusque, sese recipiunt; hic autem, quasi locis publicis communibusque videretur indignus, pernoctabat in compitis, & in imbribus, ut, ad morbi vim acerrimam, frigorum quoque ventorumque asperitates influerent. Atque utinam nudum illi apertumque solum patuisset; terra, terra inquam, auditores, tanquam illius corporis tractationem complexumque horreret, eum, ut ita dicam, novercalibus odiis prosequebatur. Itaque in sterquilinio sibi lectum, ex illis sordibus purgamentisque, constraverat. In quo, est admirabile, quam omni solatio omnino caruerit. Ea enim, quæ improbos homines non mediocriter adjuvant, nullam illi poterant levationem afferre. Nam ii, quibus res minus prosperæ sunt, causam in peccata conferentes, dolorem, quem capiunt, nescio quo pacto mitiorem efficiunt: neque enim levem sibi ille consolationem adhibet, qui recordatur, tanta sua esse delicta, ut nullum sit tantum malum, quod non sceleribus suis jam

 diu

diu debeatur. huic vero tantum aberat ut aliqua levatio ex memoria peeccatorum, quæ nulla erant, vel certe leviſſima, emergeret, ut major inde doloris oriretur triſtitiæque materia. Nam cum, illo, nemo neque integrior eſſet in orbe terrarum neque ſanctior, cum eſſet omnibus virtutibus ornatiſſimus, ea ſe pœna ſupplicioque multari cernebat, quæ recte in quemvis impurum, ſacrilegum, & flagitiorum omnium facile principem, conveniret. Iam vero à corporis valetudine, quæ maxime egeſtatem ſuſtentat, quid potuit adjuvari? (nam etſi paupertas numeretur in malis, tamen ſi ſanum valenſque nacta ſit corpus, plurimum de vi ſua acerbitateque amittit; at ſi egeſtatem etiam cruciatus corporis comitentur, ita malum alterum in alterum influit, jam ut neutrum ferri tolerarique poſſe videatur.) Proh Deus immortalis, quanta vis morbi, quam tetra, quam immanis, per omnia viri ſanctiſſimi membra pervaſit! paulatim corpus ſanie horribili abſumtum extabeſcere, undique ſcaturire vermes, eorumque morſu lacerata viſcera odorem teterrimum efflare, qui omnem cibum ſumendi voluntatem poteſtatemque prorſus adimeret. Ecquis, ſi pecudem aliquam, non dicam hominem, ad eum modum excruciari perſpiceret, non commoveretur, non ingemiſceret? At in ea cogitatione, inquies, ſe vir ſanctiſſimus oblectabat, quod ſciret, eam ſibi calamitatem immiſſam eſſe divinitus. Verum uſque adeo nullum ex hujuſmodi cogitatione ſolatium referebat, ut maxime etiam propterea conflictaretur. Vt enim acriter in ſe ipſum inquireret, nihil veniebat in mentem, quamobrem Deus, qui digna meritis bonorum ſancit, ita in ſe graviter animadverteret, qui ipſum ex animo præter cetera dilexiſſet, qui eſſet præcipuo eum ſemper cultu veneratus, qui juſte ſemper, & cum fide, vixiſſet. Quod ſi non mediocrem medicinam putas eſſe, intelligere, id tibi à Deo fuiſſe vulnus inflictum, eandem tibi non adimo, non veto te eadem uti: ſed vide, ne, dum leviorem viri ſanctiſſimi plagam conaris efficere, altius culpam tuam exaggeres. Si enim, cum in multis vitiis atque ſceleribus voluteris, cum omnes pœnas tuis flagitiis debitas eſſe non inficieris, ita timide atque muliebriter doles, clamas, ejulas, ingemiſcis, ſi paululum quid tibi de valetudine,

valetudine, vel de vitæ commodis, Deus abstulerit; qui tandem, quæso te, fletus, quæ criminationes existerent, si vel facturus virtutis tuæ periculum, vel tuam innocentiam in luce & in oculis collocaturus, se gratis in te concitatum infestumque præberet? Quæ hactenus diximus, sunt adeo, ut videtis, aspera & acerba, ut non modo cujusvis animum, sæpe fluxum ac mollem, sed ferreum atque adamanteum, flectere ac debilitare facile possent. non credo, expectari à vobis, auditores, acerbius quidquam, vel gravius, quod illi subeundum fuerit. Quid? estne aliquid ultra, quo progredi calamitas possit? Est quidem, si eadem injuriis hominum exagitetur. Nam etsi altitudo maxima animi eminet in contemnendis ac despiciendis fortunæ ludibriis, tamen hæc laus patientiæ ac fortitudinis multo maxime in aliorum injuriis contumeliisque perficitur. Commovent & conturbant animum humanæ miseriæ; hominum probra dejiciunt atque supplantant: ut, qui sine inimico viriliter ægrotaverit, qui in adversis rebus contumeliarum expers æquabilis fuerit, non tam à se ipso, quam quod absuerit impulsor agitatorque, stetisse videatur. Ita plane fit, ut non tam miseros fulmina fortunæ feriant, quam contumeliarum aculei lacerent atque cruentent. Quid vero hic noster? cum, tanta egestate premeretur, cum, doloribus maximis, pæne conficeretur, non modo, qui dolorem suum consolando levaret, reperiebat neminem, sed neque deerant, qui, exprobrando illudendoque, calamitatem suam elevarent agitarentque, ut non tantum corpori ulcus dolorem inureret, quantos cierent in animo verba cruciatus. Quid ergo? num gemitum edidit aliquem, vel fletum imbecillum? num asperi injuriarum aculei iram in eo, vel motum quempiam animi impotentem, concitaverunt? O patientiam prædicandam! ô invictam fortitudinem, & eo ipso, de quo loquimur, Iobo fortissimo dignam! Si de aliquo alio homine misero dicerem, eum in summa hominum dicacitate atque perfidia omnem iracundiam repudiasse ac rejecisse, si hunc ipsum proferrem lacessitum omnino quievisse, cum fuisset humanitatis respondere, & insolentiam scurrilitatemque stultorum devorasse, rem magnam fortasse loqui viderer: nunc autem eundem non

modo nihil, provocatum, respondisse cum dicam, cum non modo pæne, hominem se esse, oblitum fuisse asseram, sed insuper multa in eo dolore & agitatione, de contemnenda morte, de tolerando dolore, de despiciendis opibus, prope ad Philosophorum morem, graviter & copiose disputasse affirmem, quis credat, nisi sacrarum litterarum testimonio convincatur? Qualem igitur celsitudinem animi illius fuisse existimatis, qui, cum hinc egestas summa, vel mendicitas potius, urgeret, illinc morbus intolerabilis, incredibilis, inusitatus, instaret, hinc filiorum mors acerba invaderet, illinc scurrilitas inimicorum, amicorumque perfidia premeret, hinc familiarium nefaria proditio oppugnaret, illinc uxoris arrogantia atque loquacitas irrueret, quasi in summo esset otio, honestæ vitæ præcepta virtutisque tradiderit? Quam tandem fortitudinem atque patientiam viguisse in eo putabimus, in quo, sine ulla querela, universa illa mala per aliquot menses insederint, quæ divisa ac distributa si sint, clamant homines, ea ferri tolerarique non posse? Pudeat igitur nos Christianos homines, tali virtute atque sapientia præditos, si quid humanitus acciderit, quidquam immoderate vel intemperanter facere vel loqui. Quis enim, cum faces doloris admovebuntur, si de istius insigni calamitate cogitaverit, commovere se possit? quis audeat dicere, se ab eodem obrui, si eas istum excipientem plagas viderit, & ferentem silentio, quibus cum si conferat suas, vix cum illarum exigua parte æquari conferrique posse fateatur? Quamquam minime, dum vivimus, dolore obruimur etiam si doloribus maximis excruciemur. etenim premimur hic, at non opprimimur. Dices, hanc laudem, eximiæ virtutis atque patientiæ, fuisse hominis illius ac temporis, neque esse à nobis omnia ad illam veterem normam exigenda. Vide, ne tibi multo plus ista oratione colligas criminis, quam defensionis. Si enim tum, cum nondum lex erat hominibus constituta, cum nondum hac cumulatissima mensura nobis gratiæ, quam Theologi dicunt, beneficium dabatur, cum communis vitæ ratio non ita erat angustis circumscripta cancellis, cum dominabatur in orbe terrarum maledictum, cum mors terribilis erat, unus pater familias,

bonus

bonus vir ac simplex, miseriis omnibus oppugnatus, non modo earum impetum sustinuit, sed, præclara edita pugna, ita superior discessit, ut uni illi, omnium concessu, perfectæ patientiæ palma deferatur; nonne nunc credis multo à te majora non expectari solum, sed etiam postulari? Quid tibi Deum ad ignoscendum daturum arbitraris, si tot præsidiis gratiæ munitus, tanta exemplorum copia instructus, in ferendo tolerandoque dolore deliqueris? Vides igitur, & illius insignem tolerantiam, & tuam vel mediocrem impatientiam, propter temporis dissimilitudinem, in illo summæ laudis causam habere, in te maximi criminis, in illo præmii, in te damnationis. Quod si egregia fortium virorum facta tantos habent stimulos ad gloriam, ut vitam suam, ad eandem similitudinem laudis, multi sæpe inertes & voluptarii direxerint; cur horum, quos adduximus, gravitas atque constantia, non erit nobis patientiæ ac fortitudinis incitamentum? patiemurne ab hominibus nos, longe nobis inferioribus, tanto intervallo superari? quod potuit ex mediocribus viris vel tenue cælestis gratiæ lumen excitare, nonne id debet in nobis, omnibus divinis muneribus & donis plane cumulatis & ornatis, studium perfectionis, & officii nostri ratio, multo melius efficere atque facilius? Ad eorum igitur quasi sanctam æmulationem, cum nos dolor aliquis pervellerit, acrem illius morsum, sine ullo clamore vel metu, sustineamus, neque committamus, ut, tanquam ignavi milites ac timidi, qui, simul ac viderunt hostem, abjecto scuto refugiunt, infamia notati, pœnas inertiæ graves justasque persolvamus.

ORATIO XI,

IN FVNERE BAPTISTÆ GVERRINI, POETÆ CLARISSIMI.

Habita in Academia Humoristarum.

SI mortalium cuiquam, optimi clarissimique viri, Baptistæ Guerrini, mors luctui fuit, luctuosior certe quam vobis, Academici præstantissimi, contigit nemini. Etenim, tum hominis suavissimi, & Poëtæ singularis, consuetudine jucunda, tum egregiæ virtutis ejusdem fructu, privati, prope innumeris dolendi causis circumfluitis. Et sane, quis vestrum tam immemor beneficiorum, quis tam ingratus reperiatur, cui maximum acerbissimumque dolorem non commoveat, summi ejus in vos amoris & studii recordatio? quis tam inhumanus, quis tam sine mente ac sine ullo sensu existat, qui non multis cum lacrimis, ejus incredibilem, in eo munere, quod illi demandastis, obeundo, diligentiam curamque meminerit? cum, non acta ipsius ætas, non hyemis asperitas, non frigoris vis, non squallor viarum, non litium molestiæ, quibus maximis gravissimisque implicabatur, anno superiore, potuerint eum retinere, quo minus, singulis diebus, quibus hic conventus haberi solet, non solum adesset, verum etiam ceterorum diligentiam inveniendo præcurreret. Et, si ad nos redire, quemadmodum sperabamus, potuisset, credo, pro ejus in vos amore summo ac singulari, in ipsa cura ac meditatione rerum utilitatumque vestrarum, atque adeo hoc ipso in loco, ante oculos vestros, excessisset è vita. Ego vero, Guerrine, cum mecum hæc cogito, tum maxime orbitatis nostræ me miseret. &, si major est calamitas, felicitate aliqua dejici, quam ascendisse ad eam, nunquam profecto, quam alte ceciderimus, video, perpetua humanitatis virtutisque tuæ

tuæ possessione depulsi, ut contra præsentis mali acerbitatem fuisse nobis tutius dixerim, possedisse te nunquam, quam postea tam dolenter amisisse acceptum: tum enim ita nostras in communem luctum lacrimas contulissemus, ut ejusdem ex æquo doloris cum ceteris socii atque participes, ita poëtæ clarissimi longeque omnium principis honorem mortuo tribuissemus, ut reliqui pene litterarum cupidi omnes: nunc autem in publico prope orbis terræ mœrore, nostro incommodo detrimentoque dolemus, in summo omnium hominum de tuis laudibus consensu, non virtuti magis extinctæ, testimonium damus, quam amico suavissimo optimeque de nobis merito, debito parentamus officio. Verum, si laudatio nostra, Academici, brevior aut inferior expectatione vestræ videbitur, duæ præsertim res, temporis ad dicendum brevitas, & acerbissimi vulneris dolor, excusent. quæ enim res est, paulo ad dicendum uberior, quæ brevi semihoræ spatio transigi queat? deinde, si doloris nostri causis exaggerandis famam eloquentiæ quærere voluisse videamur, eum vel non acerbissimum, vel tolerabilem certe fuisse, significabimus. Habet hoc summus vel amor vel dolor, ut non modo eloquentiam, verum etiam interdum loquendi facultatem, eripiat, & qui in alterutro explicando sit eloquens, hic se parum ab eo affici, doceat. Itaque, ita de rebus, vobis quam mihi notioribus, audietis, ut & in orationis brevitate dolor, & in earum commemoratione officium nostrum, appareat. Ac primum, ea quæ tractari uberrime in initiis laudationum solent, genus, patriam, formam, divitias, ne attingenda quidem censeo; hæc iis integra relinquantur, quorum omnis ornatus, ejusmodi externis atque adventiciis rebus continetur. deinde majorum virtus, quæ præ ceteris rebus inferre sese atque intrudere in laudationibus solet, ab oratione nostra rejicienda esse videretur, nisi in partem Guerrini laudum, suo jure, venire deposceret. Etenim, si, ut est apud poëtam egregium, bonis in equis patrum virtus effertur, cur in præclaris filiorum ingeniis, majorum suorum claritas, expers hujus laudis esse debebit? Itaque, quod puer, in perdiscendo, cursum suum transcucurrerit, quod, annos natus duodeviginti, cum ceteri in ludo esse consueverunt,

publice

publice Ferrariæ docuerit, quod antea magister exstiterit quam fere per ætatem discipulus esse posset; id, inquam, ab insita, in Guerrinorum familia, sapientia prodiisse putandum est. Quod si est ita, dicatur sane hic noster, in Baptistæ avi, & Alexandri patrui, omnium sui ævi doctissimorum virorum, doctrina atque præceptis educatus, ad poëticæ facultatis atque omnis eruditionis gloriam tantopere effloruisse; concedatur, naturale stirpis bonum aliquam eidem ad virtutem indolem & materiam contulisse, dum tamen, plura majoribus eum suis largitum esse, confiteamur, quam ipse ab eisdem acceperit. Nam, ut flumina à suo primum fonte tenuia ac rivulorum similia excurrunt, & campos interfluunt, tum aliis aquis, ac præsertim imbribus, aucta, tumescunt, ac ripas excedunt: ita etiam majorum Guerrini nomen, ab hac ejus de cælo delapsa virtute completur, &, tanquam extra ripas diffluens amnis, ad immortalitatem largius illabitur. Quorum igitur nomen & fama exiguis sane terminis contineretur, summa istius laude & gloria dilatata, largius effunditur; quorumque virtus, licet per se clara, vix tenue ad nos lumen emitteret, nunc, velut astra, à clarissima istius virtute, tanquam à sole, illuminata, longe illustrioribus radiis effulget. Et, quoniam, in præstantissima Guerrini virtute designanda, solis nomine ac similitudine usi sumus, istuc quoque idem solis simile habere dicatur, ut non plures ille regiones terrasque circumeat, atque ipsa nominis sui fama populos nationesque lustrarit. Solent hæc nostro sermone conscripta, Italiæ finibus, exiguis sane, concludi, intercluso sibi, propter sermonis varietatem & nominis, ad exteras gentes & populos aditu; sed difficile dictu est, quam ampla egregiis viri istius monumentis, propter eximiam ipsorum venustatem elegantiamque, ad omnes prope nationes via patuerit, quam celer ad universum prope terrarum orbem peragrandum cursus extiterit. incredibile commemoratu est, quam eadem, primo pene aspectu, omnium in se amorem benevolentiamque converterint, quam, ad se amplectenda, omnium populorum, omnium hominum studia commoverint. Convertite animum, Academici, atque eas gentes circumspicite, in quibus aliquis harum littera-

litterarum studiis honor habetur, Hispanos, Gallos, Germanos, Illyricos, Anglos, Persas, Indos; ab his omnibus jam pridem admirabilem illam Tragicocomœdiam, in suum sermonem conversam, in manus haberi, legi, laudari, canique, reperietis: ut non jam accita sed apud ipsos nata, non hospitio accepta sed civitate donata esse, videatur. quod autem, in quodcunque genus linguæ recepta, clamores semper & admirationes efficiat, incredibilis ex eo ac prope divina ejus virtus perfectioque perspicitur. nam, ut in arboribus, ita etiam in scriptis, ea longe optima putanda sunt, quæ in aliam linguam, tanquam in aliquod aliud solum, translata, nihil de sua vi, pulchritudine ac suavitate deperdunt. Iam vero quantum apud Italos, quibus præsertim ejus scripta nata sunt, honore & gloria processerit, quantum, in eo genere scriptorum, omnium superiorum gloriam vicerit, quid me attinet dicere? clara res est, atque omnibus ad intelligendum exposita. De quo unquam opere, præterquam de istius admirabili Tragicocomœdia, proditum memoriæ ac litteris est, ut à quocunque hominum genere, sive à pueris sive à majoribus natu, sive à fœminis sive à viris, sive à doctis sive ab indoctis, cum ingenti admiratione ac voluptate legeretur, ut, autore superstite, octies & quadragies, typis, ut loquimur, excuderetur, ut nunquam ullus exemplarium numerus, vel maximus, multitudini legentium studioque sufficeret, ut nemo unquam expletus saturatusque, sed avidus semper & cupidus, ab ejus lectione discederet, ut, memoriis hominum exceptum & custoditum, oblivionem & vetustatem non extimesceret? usque adeo, ut si exemplaria ejus omnia interire, si ab omnium manibus extorqueri, si à civitatibus ejici, ad exitium rapi, contingeret, memoriis hominum, quibus illud opus hæret infixum, ab interitu vindicaretur; sed quid inquam hominum memorias? saxa & solitudines ipsæ, ad quas toties decantatum est, illud referrent ac redderent. Iam, ut Darii Persarum regis scrinio, auro gemmisque fulgenti, ab Alexandro magno, Homeri librorum custodiæ tradito, nihil ipsi sit invidendum, pluribus longeque præstantioribus scriniis, hoc est benevolis hominum animis, incluso atque servato, &, si ad multitudinem

tudinem exemplarium, tam late proseminatam, spectetur, toto orbe terrarum, tanquam in arca, constructo atque recondito. Vnde autem hæc illi tanta tamque admirabilia esse inventa putatis, nisi ab inaudita ejus elegantia, admirabili venustate, incredibili suavitate ac prope divina? Magna & inusitata egregii operis gloria, nullam non habere virtutem, nemini non admirabile videri. Habet ibi vulgus quo delectetur, eruditus ubi ingenium alat, doctissimus quisque quod admiretur. Ita in eo lenitas, & quædam quasi orationis humanitas, gravitati misceatur, ut lenitati nihil detrahat gravitas, neque de gravitate quidquam lenitas auferat. ita ornatus cum perspicuitate conjungitur, ut & lucem ornatui perspicuitas afferat, & perspicuitatem ornatus mire commendet: prope ut prodigalitatis natura in hoc uno damnanda videatur, cum, quæ vix singula singulis dona partitur, in uno omnia retulerit. Et quisquam, tantis te laudibus egregium, singulis Italiæ principibus viris eximium extitisse mirabitur? Poëtarum hujus ævi parens, Musarum hominumque deliciæ; tu non expetendus? tu non diligendus? tu non beneficiis omnibus ornandus; tam multis tibi virtutibus magnam apud omnes homines gratiam conciliantibus? Tu, maxime omnium, in te probando, duas res, valde inter se diffidentes, vulgi & eruditorum judicia, copulasti; tu perpetuam orationis majestatem in versibus, cum æquabili lenitate junxisti; tu pascua, tu rura, dignitate, deliciis, frequentia hominum, ipsis etiam urbibus invidenda, tuis carminibus, reddidisti; tu ita poëticæ facultati studium tuum dedisti, ut illud nunquam à Reip. procuratione sejunctum habueris, verum ad poësin, cum diutius in negotio curaque fueras, veluti ad aliquam animi remissionem ludumque, descenderis. Solent hæc amœniora studia, Academici, poëtices præsertim, à curia, à foro, à negotiis publicis, hominem avocare, eumque in locis solis, amœnis, in sylvis, in hortulis, constituere; ubi etiam ille recubans molliter & delicate, cum ceterarum rerum, tum Reip. in primis, curam & cogitationem abjiciat. qui autem, poëtæ boni cum essent, simul Reip. & rerum gestarum gloria floruerint, pauci ex Græcis, pauciores ex Latinis, plures proferri possunt

ex

ex nostris. Ex hoc fuerunt illi numero, quos patres nostri viderunt, Ariosti, Bembi, Guidiccioni, Casæ; qui omnes, cum plurimum in Rep. autoritate, consilio, sapientiaque valerent, furtim, si quando per negotia licebat, in hæc ejusmodi studia, tanquam in hortum, divertebant, ut eos vix intelligeres id agere, cum agerent tamen. Ad numerum istorum adscribatur hic noster, qui, ut summe ab omnibus Italiæ principibus viris expeteretur, non ingenio solum & eruditione assequebatur, verum etiam rerum maximarum usu, atque prudentia. In quo usque eo felices universi fuere, ut variis temporibus, alius alio, tanquam in possessionem illius humanitatis, virtutis, consilii, atque prudentiæ, successerit. Ejus primo egregiam operam, in multis publicis privatisque muneribus, usurpavit Alphonsus Ferrariensium Dux II, eo splendore ac nomine Princeps, quo omnes nos scimus. quam operam in multis, ad Remp. Venetam, ad Ducem Sabaudiæ, ad Ferdinandum Imperatorem, legationibus, sed in ea præsertim nobili ad Henricum Valesium in Poloniam, ita probavit, ut eundem, in ea iterum loca, ad illud sibi regnum obtinendum, jure legationis ac nomine mitteret, oratorem vero postea, una cum Cæsare Estensi, nunc Mutinensium & Regiensium Duce, ad Gregorium XIV Pont. max. allegaret. quo tempore, ac deinde multis annis post, Ferrariensium suorum civium nomine, ad Paulum V legatus, ostendit, quantum eloquentia omnique dicendi facultate præstaret. Ab Alphonso deinde ad Carolum Emanuelem, Sabaudiæ Ducem, illa humanitas, illa virtus fidesque translata, consiliis de Rep. dandis, epistolis scribendis, rebus difficillimis explicandis, adeptam Ferrariæ laudem ita confirmavit, ut, fama clarissimus, reliquorum etiam Principum desideria commoverit. Ergo à Ferdinando, magno Etruriæ Duce, ad multa atque ardua ditionis suæ negotia perficienda vocatus, admirabili apud eum virtutis prudentiæque gloria claruit. postremo, à Francisco Maria, Vrbinatum Duce, Principe hujus ævi doctissimo, eorundem quasi studiorum societatis jure vindicatus, nihil esse in ceteris artibus demonstravit, quod esset à cognitione sua remotum. Id quod tam multa, ab eo soluta oratione conscripta, declarant,

declarant, & in primis nobilis ille ad suam Tragicocomœdiam commentarius, libri, quos de Secretario, ut loquuntur, de honestate, de Rep. scripsit: quæ omnia ita eruditorum commendatione probantur, ut proxime ad veterum Philosophorum laudem accedant. Atqui, si non Ferrariæ, in urbe clarissima, si non in vetere, nobili, locuplete, Guerrinorum familia natus esset, si de ejus patria ambigeretur; profecto isthæc omnium Principum in eo tantopere expetendo voluntas, istud omnium hominum in ejus versibus legendis, discendis, laudandis, studium, maximo argumento est, non quatuor tantum urbes, ut de Homero narratur, sed omnes Italiæ civitates, omnia loca, eum sibi civem fuisse arrogatura. Sed vereor, si sim longior, ne aliquam apud vos crudelitatis invidiam colligam, Academici; nam, ut vulnerum, ita & animi dolor, tractatione recrudescit. Sed modum esse statuendum, intra quem doleamus, censeo. Etenim, damno accepto, intoleranter queri, nemini honestum ducitur, doctis vero hominibus, & Philosophiæ deditis, etiam flagitiosum putatur. Vtrum enim nostro, an ejus, doleamus incommodo? Non equidem cerno, quid in eo magnopere sit dolendum. Nam, licet, propter summum ingenium excellentemque doctrinam, videbatur omnino mori non debuisse, tamen, ut est hominum fragilitas, ætati satis diu vixit, gloriæ quidem certe quam diutissime. Reliquum est, ut nostro incommodo detrimentoque commoveamur. At ingrati seque nimium amantis est, magis de eo, quod sibi detractum est, queri, quam de eo, quod acceperit, gratias agere. Immo, in ejus erga nos meritis, multum pono esse præsidii, ad omnem pene vim doloris ejiciendam. Ea erat virtute Guerrinus, ea fama ac nomine, ut, semel eum vidisse, in aliquo vitæ fructu poneretur. At vero vos, præ ceteris Italiæ Academiis, electos fuisse, quos amore indulgentiaque prope in filiorum numero haberet, in quibus juvandis, ornandis, curam, cogitationem, vitam terminaret suam, quorum exercitationibus tantum tribuerit, ut in illa tabula, quam videtis, eleganti similitudine testatum reliquerit, quam pretiosæ ab eis, suo in animo, virtutum notæ imprimerentur, quantum pertinere ad vestram gloriam arbitramini?

mini? Hæc in animum vobis ſubjicite. tum enim doloris acerbitas, non ſolum ex magna parte deceſſerit, ſed alacris quidam vobis, veſtris carminibus, referendæ eidem gratiæ ardor acceſſerit. Quæ carmina (licet enim verum dicere) grati potius erunt animi teſtimonium, quam æternæ ejus gloriæ monumentum. Suis ipſe ſe præclaris monumentis ad omnem memoriam commendavit; ſuam ipſe ſibi, nova quadam atque admirabili ingenii magnitudine, peperit immortalitatem. Illud potius conſequemini, ut ejus in vos beneficiis prodendis, nominis veſtri fama, una cum eorum memoria, in poſteritatem propagetur.

ORATIO XII,

AD

ALEXANDRVM PERETTVM CARD.

S. R. E. Vicecancellarium,

anno CIↃ IↃC VII.

MVlta ſunt in te, Cardinalis ampliſſime, magna & admirabilia, quæ me, quamvis invitum & repugnantem, poſſint in tui amorem & obſervantiam impellere. verum nulla re alia, ita ad te colendum ac diligendum allicior, ut ſingularibus ac prope divinis virtutibus tuis: quarum multitudine atque præſtantia qui non moveatur, omnino ſine humanitate, ac ſine ſenſu, exiſtimetur. Extant, nec inficior, tua in me non pauca beneficia; ſed fatear ingenue, nunquam fore apud me tanti ulla merita, ut propterea aliquam tibi laudem; quæ mendacio niteretur, affingerem. Non ego is ſum; qui mentiri ita facile poſſim, quique non ſuo quemquam merito, ſed meis commodis atque rationibus, pendam. Poſſunt quidem beneficia valde me illi, unde manarunt, adſtringere; ut autem laudabilis mihi quiſquam, qui non ſit, videatur, prorſus non poſſunt efficere. Itaque reve-

rentiæ & observantiæ in te meæ causam una virtus sustinet: quæ quantum, in dies prope evolans, ad id, quod est summum atque perfectum, accedit, tantundem ille in me ardor excrescit, quem clarissimum ejusdem virtutis lumen ac splendor accendit. Quod si licet ex verbis, quo quisque inclinatione voluntatis propendeat, interpretari, cui de amore in te meo summo & singulari dubium esse possit, cum intellexerit, nullos à me, nisi de tuis laudibus, sermones institui, nihil in amicorum colloquiis, nisi de tua justitia ac liberalitate, inferri? At mirum dictu est, quam omnium animos perattentos habeam, quam id, quod volo, nullo fere negotio probem. Nec injuria: omnia mihi abunde sufficiunt, quæ sunt dicenti maxime necessaria; studia & voluntates ominum in te mire propensæ, fides ad persuadendum maxima; ex fama, quæ de te percrebruit, suppeditata, uberrima ad laudandum materies & copia. Quamvis hanc etiam afferunt tuæ laudes facultatem, fere ut, in illis explicandis, nihil sit opus eloquentia. Simplex, nuda, inornata earumdem explicatio, est ipsa per sese ad audiendum gratissima. Ea enim de aliis plerumque tractantur, quæ illos, unde dicimus, multum, nihil fere ceteros, adjuvant. quare, sint licet præclara & admirabilia, tamen, nisi ornatissime copiosissimeque dicantur, non infunduntur in aures, sed audientium animos sensusque prætervolant. Contra accidit in iis laudibus, quarum fructus totus positus est in iis, à quibus leguntur vel audiuntur: nam eæ excipiuntur retinenturque facillime. verbi causa, si alicujus ingenium, sapientiam, eloquentiam, laudavero, erunt hæc mirabilia, grata certe non erunt; quia nullus in iis fructus, nulla generi hominum utilitas inesse putatur: at vix liberalitatem, fidem, justitiam, clementiam nominabo, cum fiet in eo plausus, & grata populi admurmuratio. In hoc fere genere sunt laudes tuæ: non, quod virtutum ceterarum ornamenta non sint in te: sed omnis istarum cultus & nitor latet in illarum splendore ac lumine. Immo illud quoque obtinuisti, ut, quæ te præsertim tuentur & ornant, non minus sint jucunda auditu, quam quæ sunt aliis utilia. Deinde, cuinam difficilis vel laboriosa ea causa videatur esse, in qua explicanda, nullo quis negotio, nulla

probandi

probandi necessitate versetur? Accipio liberalitatem. Si quempiam liberalem dixero, si munificum, si beneficum, non continuo hoc mihi credetur; sed erit explicandum, quid cum liberalitate, quid cum beneficentia, is qui laudabitur, fecerit; homines præterea adducendi, qui se liberalitate & beneficio affectos esse confirment: atque, rem satis notam, satis testatam, me adduxisse putabo, si decem vel octo rei istius autores testesque produxero. Ridiculum est, in tuis laudibus, quasi dubium sit aliquid, testimonia requirere. Versamur in rebus notis, & illustribus; obruimur hominum pæne innumerabilium testimoniis: satis est verbo tantum ponere. Singularem tuam beneficentiam esse, clamabunt statim, in eo, omnia xenodochia, omnia templa, omnes religiosorum ordinum familiæ: proferent alii sacras vestes, alii pecunias in usus pauperum attributas; alii alia ex hoc eodem genere liberalitatis argumenta proponent. Præterea cujusvis generis, cujusvis ordinis, cujusvis denique fortunæ homines, summi, medii, infimi, isti tuæ laudi & gloriæ se offerent. Sed si nil aliud attulero, nihil mea proficiet neque valebit oratio: est aliud, quod sit mihi multo magis explicandum. Hic enim, quem ut beneficum laudari volumus, tantum abest à summo, ut fundamenta istius laudis nondum jecerit. Etenim, ut credatur testibus, ut rem ita esse convincam, adhuc erit liberum cuicunque, vereri, ne, simulatione liberalitatis, aliquam aliam cupiditatem obtexerit. Studio ac voluntate bene de omnibus merendi, magis quam muneribus & largitionibus, liberalitatis gloria colligitur. Itaque expectabunt, qui audient, ut ejus, quem ornare institui, consilia primum, postea eventus, qui consilia hominum præsertim declarant, aperiam: cumque nullam illi potentiam, nullam dominationem; nullum regnum fuisse propositum, demonstravero, tum eundem in laude perfectæ liberalitatis constituerim. Cujus rei nullum videtur posse firmius argumentum, quam ex populi studio ac voluntate, depromi. Fuere non nulli, nostra ac patrum memoria, qui ejus, quam dixi, potentiæ cupidi, aliquot sibi amicos delegerunt, quos divitiis explerent, honoribus & copiis amplificarent: profecto istorum hominum species videbatur honestissima, volun-

tas vero & causa erat impudentissima, cum instrumenta liberalitatis, præmia virtutis, in superbia & ambitione consumerent. quid ergo? tantum abfuit ut aliquam gratiam inierint, ut in odium offensionemque omnium irruerint. Statui jam antea, nihil esse facilius, quam de tuis laudibus dicere; eo quod affirmanti aliquid de te creditur, neque aliquod præterea probandi onus imponitur. Si dixero, te nihil unquam voluisse tua causa, nihil studuisse, nisi bene de Rep. mereri, laudari, coli, diligi; cui hoc non persuadebo? Si asseruero, nihil superbe te unquam fecisse, nihil periculi cuiquam creasse, nullum metum, nullam formidinem objecisse, quis reclamabit? quis fidem aut religionem in eo desiderabit meam? Postremo, si contendero, te non fuisse fœneratum beneficia, sed beneficentiam & liberalitatem gratis exercuisse, nonne jam strepitu & clamore suam unusquisque voluntatem significabit? Non possum adduci, ut suspicer, esse quemquam tam impudentem, tam stultum, qui contra res tam notas, tam manifestas, venire audeat, qui tot tantisque beneficentiæ tuæ monumentis non credidisse sustineat: at, si quisquam ita projectus ad audendum reperiatur, ut neget tamen, magis hic à re ipsa, quam aliqua orationis vi, refelletur. Comparet illorum exitum, qui, nomine, liberalitatis & beneficentiæ famam, re vera opes violentas & minime ferendam potentiam quæsiverunt, cum tua præsenti laude atque fortuna; jam intelliget, quid intersit inter largitorem factiosum & molestum, & animum vere beneficum ac liberalem. Quosnam exitus improbissima illorum cupiditas habuit? eos videlicet, ut amisso imperio, adhuc vivis ipsis, omnis eorum memoria, præter injuriarum recordationem, obscuraretur & evanesceret. Tu vero quid assequeris? id, ad quod eos nunquam libido regnandi perduxit; ut tu plus unus possis quam ceteri, ut sis carissimus omnibus, ut non modo in eorum linguis ac litteris, sed in medullis atque visceribus hæreas. adeo ut probatum sit experimento, utilius etiam ad potentiam Principi esse, si, officio ac voluntate adducti, servire homines velint, quam si vi metuque cogantur. Ego illud jam mirari desino, quod interdum ante mirabar, unum te, omnium fere dignitate

dignitate maximum, autoritate gravissimum, copiis locupletissimum, nullum neque adversarium neque obtrectatorem neque inimicum habere, sed certatim omnes diligere, salvum esse cupere, & vota facere pro fortunis tuis, ut diuturnæ sint, ut augeantur, ut in ea sede colloceris, in qua olim propatruus tuus, pietate, justitia, magnificentia, atque omni virtutum gloria, floruit. Si enim secundis illorum rebus invidetur, qui se intoleranter jactant, qui omnia ad suum commodum, nihil ad aliorum, conferunt; nemo offendetur in eo, quod opibus & potentia præstes, si modestiæ, lenitatis, moderationisque meminerit tuæ; nunquam committet, ut nolit, res tuas esse quam florentissimas, si, qui ab illis fructus, si, quæ in omnes utilitas consequatur, attenderit. Itaque de homine gravissimo & sapientissimo sæpe audivi, cum diceret, omnium fore communem hostem, qui tibi esset inimicus. Quid enim interest, utrum te quis, an publicam causam, an communem utilitatem & salutem, quæ te præsertim incolumi continetur, oppugnet? Statueram jam ab initio, nihil in iis, in quorum explicationem ingrederer, commorari, sed unamquamque rem strictim attingere, ne qua vel assentationis vel artificii significatio daretur: sed festinationem orationis meæ, ea res aliquantulum remoratur, quæ mihi videtur una de tuis maximis ac præstantissimis laudibus. Quicumque hic Romæ, de tuis virtutibus, sermones conventusque habent, fere omnes audio; atque parum constare inter eos video, ex omnibus tuis laudibus quæ excellat & dignior quodammodo sit cui ceterarum palma deferatur. Sunt, qui facilitatem in concedendo commendent tuam, plerique animi magnitudinem in largiendo mirantur, denique alii alia loquuntur & probant; me quidem tua illa sapiens, ut ita dicam, taciturnitas, seu potius mirifica in loquendo cautio, delectat. Habet hoc omnino magnus animus ac præstans, ut sit aliquanto ad loquacitatem proclivior. Quemnam beneficum invenias, adeo modestum, adeo suæ gloriæ prodigum, qui, si minus laudari, saltem diligi, propter benefacta, non expetat? Itaque virtutis istius studiosi, dum hanc eandem benevolentiam quærunt, in eo fere vitio labuntur & cadunt, ut, quæ laudabiliter fecerint,

quantum possint exornent, & majora verbis efficiant. Deinde ita quodammodo à natura facti atque instituti videmur, ut in promittendo, quam in dando, largiores inveniamur. Fere hic mos est apud te, ut iis, qui postulatum aliquid ad te veniunt, unico fere verbo, daturum te facturumve, respondeas. at nullum est jusjurandum tam sanctum ad religionem, nulla cautio tam firma ad nexum & obligationem, ut id, quod simpliciter ais vel negas, ad fidem tuam valet. Dicam uno verbo; omnia sunt tua beneficia plena liberalitatis, inania verborum. Hinc natum existimo (dicam libere, quæ audio de te,) ut ii, quibus nihil est tam præclarum, neque tam laudabile, quod probetur, tibi vitio dare interdum audeant, quod eos, quos à te impetrare vis, domum incertos sine spe ulla dimittas. Vellent primum, opinor, ut, ex communi hominum consuetudine, rem esse plurimi negotii multique laboris, ostenderes, tum operam & studium pollicereris tuum, postremo magnifice beneficium, si impetrarint, efferres. Mihi (si licet affirmare sententiam & opinionem meam,) non oportuisse solum, sed plane necesse fuisse videtur, hoc à te consilium tam acre, tam sapiens, iniri. Dicam planius: mea sententia est, nihil à te potuisse rectius, nihil elegantius, fieri. In eo loco res est, ut urbanus & commodus in primis habeatur, qui norit omnium astutissime verba dare, spes aliorum alere, fidem in eo, quod dixerit, fallere. sunt hæc sananda & corrigenda. est Princeps bonus & prudens, qui hanc operam sumit. quid ergo oportet eum facere? aliquidne aliud, præter id, à quo eleganculi isti, atque omnibus artis coloribus perpoliti, refugiunt? videlicet, nihil fere loqui, pauca promittere, multa præstare? Aut enim tibi fuit hoc consilium probandum, aut omnis opera ludenda, si verum est illud, quod prope natura in animis omnium insculpsit, plane ad corrigenda vitia nihil esse contrariarum virtutum medicina salubrius. Vt igitur flectendo contorquendoque in diversam partem, quæ inclinant & propendent, erigimus; ita inanem loquacitatem graviore silentio, dictorum vanitatem promissorumque inconstantiam majore quadam fide veritateque, emendamus. Verum in ea, quæ dudum referre & ad te unum delegare institui,

temere

temere multi non verebuntur irruere, & sibi vim fieri clamabunt, quod à communis possessione laudis ejiciantur ac deturbentur. Nam, quod ad beneficentiam spectat, non dubitabunt dicere, si, ex amplissimis opibus atque divitiis, eadem illis, quæ tibi, largiendi facultas suppeditaretur, fore ut, majore etiam cum laude, in plures & digniores, suas ipsi copias & fortunas effunderent. deinde, quis est tam levis, tam mendax, tam perjurus, tam perfidus, qui non existimet, esse se maxime veridicum, religiosum, & in suis dictis factisque constantem? At vide, quantum ubertati & copiæ tuarum laudum prope confidam, ut, quæ in neminem præter te cadunt, eadem cum aliis communicari posse concedam. Do igitur hoc illis, aliquot te, in ista laude, socios habere. Rem afferam ejusmodi, quam omnes tibi remittant, & tuam esse totam & propriam, fateantur. Cujus obsecro liberalitas adeo est ampla, adeo patens, ut nemini præcludatur, ut nulla neque rerum neque locorum neque temporum ratione & modo contineatur? Si ero prodigus in amicos, non ero profusus in omnes; & pro diversitate temporum erunt etiam mihi voluntates & studia diversa. largius in vilitate annonæ, parcius in caritate me geram. Hoc idem transfero ad rerum locorumque discrimina. Vna tua liberalitas soluta ac libera est; non his angustiis terminatur; non exiguis hisce finibus circumscribitur. Iam ut non verear te beneficentiæ ipsius fontem appellare, unde liceat omnibus, quandocumque & quantum sit commodum, haurire. Neminem enim, quam velit officiosum, quam velit beneficum, mihi quisquam adduxerit, de quo beneficium si petam, non quærat, quis sim qui poscam, qui nolit scire qua confidentia adductus ad postulandum descenderim: &, si nullam neque inter nos amicitiæ neque meritorum commendationem postulationi meæ fiduciam tribuisse ostenderim, nomne justam causam dem illi, non modo recusandi, sed audaciæ impudentiæque meæ præterea reprehendendæ? Non est necesse nominare quemquam: tantum, quid mihi & aliis usu venerit, explicabo. Multi ab aliquot principibus viris, quos illis longus usus multaque merita conjunxisse debuerant, pauca & usitata poscunt, nec impetrant: ego à te, quod

interdum pudeat, sine meritis, atque adeo sine ulla notitia, multa nec parva quæsivi, & obtinui. Non conferam ingratam illorum perfidiam cum tua benefica atque præstanti natura, pusillum & abjectum eorundem animum cum tuo maximo & excelso: non, id quod possem, iniquitatem querar, improbitatem arguam, impudentiam reprehendam. quid enim ita sim ineptus, ut conjungam cum tua laude, cujusquam præterea dedecus? Tantum illud arripiam, quod debeant omnes mihi concedere, ut ita te solum fidei amicitiæque desertores isti, in ea de qua dixi laude, relinquant, ut se etiam ab illa, quam feræ interdum belluæ consequuntur, longissime abesse cognoscant. Sed, ut eo revocetur unde paululum declinavit oratio, qualem te cum amicis & familiaribus esse tuis oporteat, si tam multa in eos, quos nunquam antea vidisti, à tua liberalitate proveniunt? quamvis non recte, amicos & non amicos, familiares & non familiares, separavi atque distinxi. Quicunque sunt Romæ, quicunque tuum nomen audiverunt, omnes tibi sunt amici, omnes familiares, complures etiam tua aliqua liberalitate beneficioque devincti. Num possunt ullæ majores & fideliores amicitiæ reperiri, quam eæ, quas virtus & beneficiorum necessitudo conjunxit? Itaque non modo illi, quos officiis vel re sublevasti, sed, qui à te nondum quidquam acceperunt, id, quod liberaliter feceris, prædicare, ornare, grata animi voluntate complecti. In quo, jure, te felicem appello. Equidem, cum tuum præsentem statum mihi propono, nihil te fortunatius aspicio. Omnia sunt in te, quæ fortuna dat extrinsecus, aut corpori; optima valetudo, egregia forma, ingentes divitiæ, summa potentia, amplissimæ cognationes: &, quod in priori parte felicitatis ponitur, esse te carum tuis atque jucundum, intelligis. Hæc sunt fere, quibus contineri vitam felicem, non pauci opinantur. Non quæro, recte an secus judicent. Ego ex omnibus optabilibus optandum semper maxime duxi, ut, quibus beneficia dedissem, gratis & fidelibus uterer. expertus sum magno meo cum dolore, quorundam in me hominum perfidiam; didici jam ex usu multarum rerum, esse huic affines sceleri multos. Quotus enim quisque est, qui memoriam beneficiorum retineat,

qui

qui non etiam, id quod est turpissimum, injuriis beneficia compenset? Cujus rei si causæ quærantur, duæ possint afferri: aut enim fit hoc vitio naturæ; nihil est enim minus ad diuturnitatem memoriæ stabile, quam id quod alteri gratificeris: aut quod veremur ut plurimum, ne, quod accipimus, fœneratum sit reddendum. Hæc suspicio abest primum à consuetudine tua longissime. vix enim ornasti quemquam beneficio, cum beneficii ejusdem oblivisceris. Deinde, quam improbitatem, quam perfidiam, ex intimis ingratorum mentibus non evulserit tua illa gratuita, & nihil sibi quærens, humanitas atque benignitas? Quis enim est tam importunus, tam inhumanus, tam ferreus; qui tua commoda non anteponat suis, qui se tibi debere non fateatur? Quæ cum ita sint, vere es felix, cum feras virtutis tuæ fructus uberrimos amplissimosque. quis enim potest excogitari major fructus, quam prope innumerabiles maximis beneficiis obligatos & districtos habere? quid tibi gloriosius, quam numerum illorum, quos ornaveris, quos locupletaveris, propter multitudinem ignorare? quid jucundius, quam omnes, quasi aliquod regnum, ut tibi serviant, expetere? Non est difficile, in hac ætate atque in his moribus, aliquot invenire, qui ingentes sumtus faciant, maximam familiam alant, magnifice ac splendide vivant; sed mirum est, quam ab his superbe & crudeliter, viris interdum optimis, imperetur, quemadmodum homines honesti, & domi suæ nobiles, tractentur. Sed, ne quisquam possit dicere, mentiri me, aut fingere aliquid, aut nimium augere, si dixero, te non esse asperum, non acerbum, non inhumanum, sed mitem, clementem, humanum; illud ante objiciam, quod est cunctis notissimum, quod est tota Vrbe celeberrimum: hoc est, tuorum te familiarium plerosque ne de facie quidem agnoscere; iis autem, quos vitæ necessitas, aut officii sui ratio, circa te esse compellit, adeo clemens, adeo libera, apud te servitus est, ut servituti eorum magis, quam liberæ atque beatæ aliorum vitæ, invideatur. Omnino miseranda est, vel certe non invidenda, eorum conditio, qui serviunt. Nam, libertate erepta, quid sit homini in vita jucundum, non video. Nihil autem libertati contrarium est magis, quam

non ita vivere ut velis, quam omnes voluntates rerum, aliorum arbitrio, moderari. At non est adeo cuiqnam suave, domi suæ imperare, ut est in tua servire jucundum; non est adeo cuiquam ingenuum, urbibus ac populis dominari, ut est, tibi subjici, liberale & gloriosum. quid mirum est igitur, si iis malis, quæ servitus habet, expulsis, omnibus votis, ut tibi quisque famuletur, exoptet, summa ambitione, ut abdicet se libertate, contendat? Hæc ut vera sunt, ita videri omnibus jucundissima, certo scio; at, quemadmodum à modestia tua accipiantur, prorsus ignoro: mihi enim renunciatur, te non admodum istis laudationibus delectari: quod placere illis etiam video, qui virtutis fructum, non in laude, sed in specie & forma honesti, positum esse volunt. Quorum judicium in eo, quod virtutem propter se ipsam expetendam esse ducant, vehementer prædico: quod autem gloriam, præsertim si sit cum aliorum utilitate conjuncta, repudient, id potest mihi nullo modo probari. Quare impetrabis mihi hanc veniam ab humanitate tua, ut mihi à te liceat dissentire, atque eam laudem, quæ tibi parum est commoda, ceteris etiam perniciosa, prorsus abjicere. Ego, non solum non esse absurdum, sed prope necessarium, existimo, ornari Principem laudibus; modo non eas tempus vel gratia, sed veritas & ratio, pepererit. Id adeo ea mihi ratione probatur. Quid tam omnes videri, quam imitatores Principum, volunt? at vix ea quisquam, quæ imitatione digna sint, nisi laudentur, aspexerit. sunt igitur ornatissime recte facta Principum explicanda. Non ignoro, eam esse virtutis vitiique naturam, ut una propter sui speciem, multo magis alterum propter suavitatem, hominum animis insinuare se possit: tamen, quia omnes acutius plerumque vitia, quam virtutes, videmus, sunt illæ sæpius lumine orationis illustrandæ, & in audientium oculis defigendæ. Quapropter perniciose de Rep. meretur, tam, bonus Princeps, si laudari se non permittat, quam, doctus orator, si à toto isto genere laudationum omnino refugiat. Vterque enim indicio de se ipse est, ut nolit, improbos & flagitiosos cives è vitiis ubi latent, emergere. Quid, si magna aliqua spes utilitatis ostenditur, & deest laudator, nonne sunt Principi necessario

necessario oratoris partes suscipiendæ, quodque cum pietate, justitia, aut cum eiusmodi aliquo virtutis officio fecerit, explicandum? Quam multa Homericus Nestor, quam multa innumerabiles alii, &, quia te magis nostra delectant, quam magna Paulus Apostolus de se ipse prædicat? ut omnes esse sui similes cupit? ut, castitatis, innocentiæ, omniumque virtutum exempla à se petenda esse, contendit? Atque, si ea vis est in laude, ut, quibus adhibetur, prope vim quandam imponat, honeste laudabiliterque vivendi, videant obsecro isti laudis & gloriæ contemtores, ne, dum sua recte facta divulgari moleste ferunt, illud tacite significare videantur, nolle se ita in studio virtutum includi, quin liberum sit illis, quando velint, exire, & in contrariis vitiis suum ad arbitrium libidinemque vagari. Noli, quæso, rei tam alienæ à te suspiciones injicere; noli eam sapientiam, quæ cum periculo existimationis tuæ sit, adamare; sed libenti eam animo, austeræ privatorum quorundam hominum severitati, resigna, quos laudari nihil utile est nobis, illis etiam fortasse periculosum. Sed jam tempus est, ut totum id, quod dixi, concludam atque perorem. Atque solent ii, qui de dicendi facultate præcipiunt, fere illud in perorando jubere, ut ad eos, quos laudavimus, cohortandos demum traducatur & convertatur oratio; ut ne videlicet antea defatigentur, neque quiescant, quam ad summum virtutis gloriæque fastigium adscenderint. Quorum doctrina, ita ut est, mihi per quam puerilis videtur. adeo enim hoc est non necessarium, ut sit etiam interdum minime ad id, quod volumus, accommodatum. Quid si is, qui laudat, nihil fere autoritate & gratia possit, contra, qui laudatur, utraque in re longe multumque omnibus præstet? eritne quisquam tam ineptus, tam stultus, qui ei consilium dare sustineat? Quid si sit etiam ita perfectus, ut nihil fieri possit illo præstantius? quid si ita animatus, ut nihil oratione cujusquam indigeat? nonne inanis omnis noster labor & stultus, in eo cohortando, videatur? Istud idem mihi plane nunc contingit. nam si vulgatis istorum præceptis orationem meam effinxero, merito ab omnibus irridear atque contemnar. Cujus enim consilio locum tua incredibilis virtus sapientiaque

reliquit?

reliquit? cujus cohortationes tua firmitas constantiaque desiderat? quid est quod jam addi ad tuas virtutes posse videatur? Qua igitur utar conclusione? Ea opinor; ut, omissis ejusmodi nugis, tibi vitam à Deo quam maxime longam & diuturnam exoptem ac deprecer. Nam, ut memoriæ nominique tuo, non breve nescio quod tempus, sed immortalitas debeatur, liberalitate, clementia, probitatę, justitia, aliisque tuis, prope divinis, virtutibus perfecisti.

ORATIO XIII,

habita in Academia Humoristarum.

ELOQVENTIÆ, OMNIVM DOCTRINARVM PATRIMONIVM VINDICATVM.

QVid est, quod semper Philosophus oratorem contemserit, ejusque orationem, uti puerilem & cassa nuce inaniorem, irriserit? Princeps ille, vel potius omnium antiquorum calculis Deus Philosophorum, Plato, Philosophum cum oratore committit, eundemque facit certaminis superiorem abire. sed, quod videri admirabilius debeat, cui eloquentiæ patrocinium tradit, non modo ea facultas aderat quam tuebatur, sed omnis præterea Philosophorum scientia inerat, usque eo ut princeps ex omnibus, cuncta pæne audiente Græcia, ausus sit in conventu poscere, qua de re quisque vellet audire. quæ arrogantia non solum una cum illis majorum gentium Philosophis orta est & vixit, sed in eos etiam sese transfudit, quos non ingens aliquod meritum, sed sua sibi opinio (si diis placet) tanquam minorum gentium magistros illis veteribus inserit. quotusquisque est, qui, simul ut didicerit, naturam esse principium motus & quietis, vel de essentiis, aut, ut nunc loquuntur, de substantiis, vel de iis quæ substantiis accedunt, vel de cælo, de æternitate,

nitate, de tempore, garrire cœperit, non continuo eum cavilletur, quem ſtudio eloquentiæ flagrantem aſpexerit? Sed non eſt difficile, invenire, quid tantopere Philoſophum ab oratore divellat ac diſtrahat. Equidem nullam hujus diſſidii cauſam eſſe aliam exiſtimo, præter æmulationem. nam eos maxime inter ſe odiſſe videmus, qui in ejuſdem laudis curſu verſantur. non enim ego invideam cantori quod elegantius cantet, nec fabro lignario quod ſcire armaria concinnet; quid horum artificia ad me pertineant? ſi velim ad contentiones deſcendere, omnis mihi cum litterato res erit. Etenim tritum eſt illud, *Figulus figulo invidet.* Sed quid, inquies, habet commune Philoſophus cum oratore, pro cujus poſſeſſione depugnet? univerſum Philoſophiæ patrimonium; quod ita Philoſophus totum ſibi uſurpat ut ſuum, ut in nullam ejus partem oratorem admittat. at, ſi familiæ herciſcundæ judicio, æquo videlicet jure, certetur, multo majorem hic partem, quam ille, percipiet. cum enim omnis Philoſophiæ fons in tres rivulos diducatur, in diſſerendi ſubtilitatem, in naturæ obſcuritatem, in vitam & mores, quanquam ab omnibus his promiſcue hauriat uterque, ex eorum aliquibus tamen cumulatius impletur orator. ac primum ratiocinandi ars ita eloquentiæ influit, ut à ceteris rebus aſpergi, ab hac una imbui videatur. nam ſi eloqui, eſt, quæ ratio invenerit, promere, atque ad audientes proferre, quomodo judicare poterit, eſſe verum id, quod invenerit, ſine arte bene diſſerendi, & vera ac falſa dijudicandi, quæ verbo Græco διαλεκτικὴ appellatur? Sed, nonne, inquies, inventio, quod eſt opus oratorium maxime, in probando commovendoque conſiſtit? ita vulgo dividi ſcio; ſed poſtremum oratori Ariſtoteles adimit quod ſit extra cauſam, & judici totum aſſignat; primum relinquit, atque in omni argumentationum genere eundem libere vagari permittit. & ſane hac una re præſertim eloquentia præſtat; hac pugnat, hac metuenda eſt; ſine ea eloquentiæ nomen ne retinere quidem poteſt. Itaque Rhetoricam, quæ eſt ars bene dicendi, Dialecticæ ex altera parte reſpondere, idem Ariſtoteles docuit. quarum artium diverſitatem haud fere quiſquam Zenone melius expreſſit, qui, Rhetoricam palmæ, Diale-

Dialecticam pugno, similem esse dicebat. in quo aperiebat aliquid, unde longe huic illam præstare cognosceres. nam, qui Rhetoricam in apertum deducit, Dialecticam in angustum impellit, quid aliud intelligit, nisi illam esse dominam, hanc ejus prope pedissequam, illam omni impetu palamque decernere, hanc ex occulto dolisque contendere? Sed, quemadmodum parva animalia, in suis angustiis pugnantia, callida atque mobilia, facile alienas manus effugiunt, in apertum autem compulsa, quemadmodum se tueantur ipsa, non habent; ita etiam ex Dialecticorum subtilitate differentes, quamdiu illa breviter conclusa verbis ratione, tanquam foraminis cujusdam angustiis utuntur, facile ipsos captare volentes eludunt, at, inde expulsi, omnes ad pugnandum nervos amittunt. adhibet quidem definitiones orator, non interiore verborum gyro comprehensas, sed oratione dilatatas, easque oratoriis lacertis viribusque contorquet; ut Antonius & Sulpitius fecere; quorum uterque, in causa C. Norbani, quantum potuit oratione, dilatavit, quid esset majestatem minuere; utitur nihilominus aliis argumentorum locis, ex genere, forma, ex similitudine, ex differentia, ex contrario, ex adjunctis, ex antecedentibus, ex consequentibus, ex repugnantibus, aliisque, non ut scrobiculis ubi deludat, sed uti campis ubi percurrat, non ad certum verborum numerum adstrictus, sed ad omnem verborum copiam solutus. cujus igitur omnis argumentorum possessio magis propria existimanda est? utrum ejus, qui ad præscriptum ea utatur, an ejus, qui libere? utrum ejus, qui angustum in ea iter habeat, an ejus, qui, qua velit, tuto vagetur? Sed hîc fortasse Philosophus magnopere molestus non erit, non pugnabit, in aliquam nos hujus societatis partem admittet, ab aliis duabus excludet. Si quæratur de istis, qui se scire omnia profitentur, quid de Philosophia Ciceronis sibi videatur, continuo cachinnos extollent. Sed ut ad nos redeam, fateor, homini, Latinæ eloquentiæ studioso, in ea lingua perdiscenda occupato, quæ, si nihil aliud in vita agatur, tota sciri perdiscique vix potest, physica ista perinde nota non esse, ut iis, qui, ceteris studiis omissis, id agunt unum, nego, si sit opus illa cognoscere, homini ad perdiscendum acerrimo, non statim

ſtatim fore notiſſima. non auderem hoc dicere, niſi dixiſſet Antonius, doctor ſingularis, eum, qui univerſam oratoris vim noſſet, non magis de ceteris rebus laboraturum, quam eum, qui Herculem fingeret, quemadmodum pellem aut hydram fingeret, etiam ſi hæc nunquam ſeparatim facere didiciſſet. Rem miram; oratoriam facultatem Herculi, pelli vel hydræ Philoſophiam, atque adeo univerſam ſcientiam de diis immortalibus, comparat. quid illud, quod eſt in confeſſo apud omnes, nimirum multo hæc luculentius liquidiuſque eloquentem eſſe dicturum, quam illos ipſos earum artium magiſtros, quantum illi juris in hac etiam parte eſſe convincit? quis locus in tota Ariſtotelis philoſophia eſt obſcurior, quam Phyſica? in qua ſcribenda obſcuritatem de induſtria quæſivit, ut etiam fecit Heraclitus ille, cognomento σκοτεινός. at hæc ſi verbis uſitatis & communibus traderetur, ſine magiſtri ductu, nemini, ingenio paulo perſpicaciori, non eſſet obvia atque aperta. Sed fecit perite & callide Ariſtoteles, ut rei tenuiſſimæ majeſtatem obſcuritate prætenderet. Venit in mentem Homerici illius Vlyſſis, qui, navi ac ceteris rebus tempeſtate amiſſis, Corcyram ejectus, quo à Nauſiaca Alcinoi filia exciperetur hoſpitio, Palladis ope, in cujus tutela latebat, longe amplior ac ſpecioſior apparuit, cum eſſet corpore breviuſculo, & forma non ita eleganti. ita Ariſtoteles, quem, ob inſignem ſapientiam, prope Palladi comparaverim, quo Vlyſſem ſuum, hoc eſt, ſuos de Phyſica libros, Nauſiacæ, videlicet imperitis, conciliaret, nebula obducta, amplificavit. ſed, quemadmodum cecidiſſet Vlyſſi perincommode, ſi quis deus, nebula diſcuſſa, veram ejus formam detexiſſet, ita etiam Philoſophis moleſtiſſimi accidunt ii, qui cornicum, ut dicitur, oculos configunt. homines videlicet callidi metuunt, ne, ipſorum præſtigiis, orationis luce, disjectis, continuo artis, quam ornant, tenuitas pateat, ne continuo cernatur Vlyſſes ejectus, nudus, ac brevis. cupiunt de ſuo ſtudio id, quod M. Varro de diis gentium cupiebat, nempe à vulgi intelligentia illud eſſe quam remotiſſimum, ne, enunciatis ejus myſteriis, totum contemnatur & abjiciatur. Sed non poſſum intelligere, quamobrem tanta ejus artis arrogantia ſubnixi ambulent.

ambulent. velim, mihi dicant, quid ſciant. profecto ſi ſunt viri boni, hoc unum dumtaxat ſe ſcire reſpondebunt, quod nihil ſciant. qua enim in arte illud Academicorum placitum, hoc eſt, nihil certum ſciri, probabilius quam in Phyſica traditur? quid eſt in illa, de quo non copioſiſſime dici in utranque ſententiam poſſit? quid, quod, ignoratum, non vehementer expetatur, perceptum non illudatur? His igitur oratoris cujuſpiam eloquentia expoſitis atque detectis, alterutrum neceſſe erit, vel ut ea vulgus irrideat, vel ut ſe, non didiciſſe, minus pœniteat. Reſtat pars tertia de moribus, in hac vero eloquentis exultat ac triumphat oratio. Non eſt tractatio de virtute, de juſtitia, de moribus, ſimilis artium reliquarum, in quibus rudis atque hoſpes qui ſit, niſi cachinnos irridentium aucupetur, tacere compellitur. res ſunt in medio poſitæ, &c, quid ſit in unaquaque earum veriſimile, non arte ſed ingeniis eruitur. itaque ut quiſque præſtantiore eſt ingenio, ita plura & ſimiliora veri reperiet. M. Varro, ut autor eſt Auguſtinus, bis centum octuaginta octo de ſummo bono ſententias enumerat. volo ſcire, quam nam earum orator non etiam copioſius, quam ipſi earum inventores, non ſit defenſurus vel refutaturus, ſi tueri vel refellere propoſuerit? habeat paratos argumentorum locos, quos diximus, nihil ſane cuiquam eorum in diſputatione concefferit, qui totum hoc ſtudium ſibi uſurpant ut ſuum; ſive honeſtatem cum Zenone tuetur, ſive cum Ariſtippo voluptatem, vel cum Diodoro honeſtatem ſine moleſtia, vel cum Calliphane honeſtatem cum voluptate, vel cum Ariſtotele virtutis uſum cum vitæ proſperitate, vel denique cum Hieronymo Rhodio, doloris vel moleſtiæ cujuſvis vacuitatem; ſive, cum de jure quæſtio ſit, alias ſcriptum, alias æquitatem, defenderit. notiſſima eſt illa Serg. Galbæ cum P. Craſſo, juris civilis peritiſſimo, diſputatio. dederat Craſſus ruſticano cuidam conſulenti reſponſum, juri quidem ſcripto congruens, ſed æquitati non ita conveniens. quid ergo? Galba, ſuſcepto æquitatis patrocinio, tum ſimilitudines tum rationes adjungens, tam multa contra jus dixit, ut Craſſus, ceteris præſidiis intercluſis, ad autores, unde jus illud hauſerat, revolveretur, & tandem ſe victum fateretur. Quorſum

igitur

igitur ſpectant ea, quæ diximus? eo nimirum, ut intelligamus, in oratoris ſupellectile, non minus Philoſophorum opes, quam orationis ornamenta, concludi. Accedit eodem, quod à ceteris rebus ſimulari Philoſophia poteſt, ab eloquentia non poteſt. veſtis longa, dentes atri, ſordes, promiſſa barba, ut cetera abſint, Philoſophi ſpeciem præbent; eloquentia, ſi doctrina deſit, inſaniæ.

ORATIO XIV,

IN FVNERE FRANCISCI MARIÆ A MONTE

S. R. E. Card. & Epiſcopi Oſtienſis,

Ad Cardinalium Collegium.

SI clarorum virorum atque omni dignitate principum funera, parem jacturæ luctum efflagitant, Auditores, Franciſci Mariæ à Monte, S. R. E. Cardinalis, & Epiſcopi Oſtienſis, interitus, tam multa nobis bona præripuit, ut multas ſimul cauſas dolendi deflendique reliquerit. Omnia erant in eo, quæ natura atque fortuna, vel corpori vel extrinſecus tribuit; genus, forma, opes, honores. at vero virtus, quæ ſola verâ hominem laude exornat, tam multa in eum bona contulerat, ut prope fuiſſe illi certamen cum natura videretur, utra earum, ad eum augendum, plura atque majora conferret. ſed erat iniqua concertatio; ſiquidem duæ res, multum inter ſe diſpares, componebantur. nam quis neſciat, ad hominem ornandum, multo majorem in virtute quam in natura, vim & poteſtatem hærere? hæc enim corpus adjuvat; illa animum auget: hæc bona externa, ac brevi dilapſura, contribuit; illa, intrinſeca ac perpetuo permanſura largitur; immo hæc naturæ fortunæque bona tum demum veram laudis rationem obtineant, cum virtuti, tanquam

quam materies, in qua illa se exerceat, subjiciuntur. Etenim ipsa virtus in earum rerum usu ac moderatione maxime cernitur. Verum, quia in claritate generis, tanquam in semine, vis quasi quædam inest ad egregia facta edenda, quamvis naturæ fortunæque bona, quibus abundabat, temporis inopiâ reticere cogamur, non est prætereunda silentio ejus stirpis antiquitas, quæ tantum ex se bonum eduxit. at neque est hoc pluribus verbis agendum, sed tantum ex eo attingendum, quantum est properanti necesse. itaque uno verbo simpliciter ponam, prodiisse illud ex clarissima orbis terræ Borbonum familia. nam statim longa Regum maximorum series occurret, plurimi Galliarum Reges objicientur, domi forisque clarissimi. Propagavit in Italia hanc nobilissimam stirpem ille Borbonus, qui à Carolo magno, Christianorum Imperatorum longe clarissimo, velut quidam surculus, ex reliqua familia, tanquam ex suo trunco, decerptus, traductus est in Italiam, & Marchio sanctæ Mariæ, diplomate, quod etiam nunc extat, dato, creatus. sed, quemadmodum fœcunda arbor, in quodvis solum translata sit, suam vim retinet, neque à se ipsa degenerat; ita etiam hic surculus, Italici etiam cæli ac soli benignitate adjutus, sui semper similis fuit. nam omnibus deinceps seculis optimorum ducum clarissimorumque Imperatorum fœtus præstantissimos edidit, quibus enumerandis laudandisque, non modo unica ac brevis oratio non sufficiat, sed ne libri quidem, qui in hujus familiæ antiquitatem scripti feruntur, satisfaciant. Ex hisce igitur tam altis nobilitatis radicibus, illa Francisci Mariæ Cardinalis ad virtutem atque ad omnem humanitatem indoles extitit, imo, ut Phidiæ signum, simul aspectus & probatus est. Etenim mirifica quædam in eo vis extitit, ad conciliandos sibi omnium hominum animos. quod si, ut est apud poëtam, *principibus placuisse viris non ultima laus est*, quantum hoc genere laudis efferendus est ille, qui non modo virorum ad se principum amorem attraxit, sed insuper, incredibili quadam morum suavitate, coëgit, ut ultro suas ipsi opes, divitias, honoresque deferrent? Atque, ut de reliquis taceam, Ferdinandus Medices, ex Cardinali S. R. E. magnus Etruriæ Dux factus, præter ædium amplissimarum usum,

usum, ac pretiosam supellectilem, qua illum donavit, Cardinalem etiam, in ipsius locum, creandum cooptandumque curavit. Atque illud in hoc homine, ut mihi videtur, ad incredibilem admirationem efferre nos debeat, quod, cum summas hominum benevolentias dies imminuat, fortasse, quia multa in iis, quos diligendos suscepimus, vitia, quæ in secretissimis animi cujusque latebris ac recessibus delitescunt, aperias, hunc, qui semel ipsorum amicitia dignum existimarunt, arctiori in dies amoris vinculo sibi devinxerunt. quod sumi potest pro argumento, puras illi virtutes, sine ulla fæce vitiorum, hæsisse. & sane, cujus non sibi amorem alliceret illa humanitas, illa virtus, illa forma, illa suavitas! omnes ad eum aditus erant semper aperti, neque unquam cuiquam occludebantur; ut etiam, ex tanta morum facilitate, non nemo, gravissimæ Cardinalis personæ quendam quasi contemtum oriri, falso quereretur. sed imitatus est homo Christianus ac Princeps laudatissimum illum Trajanum, cujus sine fine, sed non sine causa, vox illa fertur in cælum, quam reddidit accusantibus, quod querelis omnium excipiendis imperatoriam majestatem vulgaret, & quodammodo vilem efficeret: *Talem*, inquit, *præstabo Imperatorem privatis, qualem optarem ipse privatus.* Verum, hæc in Principe affabilitas, hæc in verbis humanitas, si deseratur à beneficentia, irrisionem magis atque contemtum, quam admirationem ac benevolentiam, parit: ostendit enim, non consentire animum cum sermone. at oderunt homines plurimum hoc verborum cum mente dissidium. Sed nunquam deprehensus est, in Francisco Maria Cardinali, hic tam absurdus & abhorrens ab oculis & ab auribus vulgi dissensus; sed potius mirus semper in eo extitit cordis linguæque concentus. Etenim copiosissimos pauperum mendicantium greges, quotidiana fere stipe sublevabat; multas religiosorum ordinum familias, multas pauperum domos, menstruis donariis, pro re sua, juvabat, dicatis Deo virginibus S. Urbani Ædem, ac cœnobium Ædi adjunctum, exstruxit; Sodalitati Deiparæ Virginis Assumtæ, in domo professa Soc. Iesu, aureorum ad decem millia, & eo amplius, muneri obtulit, ut ex eorum redditibus, illis sumtibus suppeditaret, quos in

in exponendis sacrosanctis Corporis Christi mysteriis facit, extremis Bacchanaliorum diebus. &, cum eadem Sodalitas, se nunquam passuram, respondisset, ut, ipso vivo eos redditus caperet, aut tantam vim nummorum attingeret, perseveravit deferre, ac prope vim facere, ut acciperet. in qua contentione, tum incredibilis Cardinalis liberalitas, tum gratus ejusdem Sodalitatis in eum animus, mirabiliter, ut mihi videtur, enituit. nam, quoties ille institit, ursit, oppressit, ut acciperet; toties donavit; quoties illa recusavit accipere, toties gratiam retulit; quia novam illi liberalitatis declarandæ materiam exhibuit. Verum hoc tam mirum in pauperes studium, cum amor & voluntas in Deum inflammet, non potest esse à vera pietate ac religione sejunctum. at ejus religionis in primis indicio est illa in exemplum posteritatis sedulitas ac diligentia, in iis præsertim sacris celebrandis, quæ in Sacello Pontificio statis diebus fiunt; quibus, cum erat veniendum, non solum ad horam, sed multo ante horam, præsto erat; neque, affecta jam ætate, infirmaque valetudine, cohiberi poterat, ut ad ea ne accederet, vel saltem tam mature ne accederet. ac, nisi postremo, morbo jam ingravescente, jussus esset domi se continere; credo, ante omnium ora, in conspectu Pontificis max. ante ipsam aram, destitutus viribus, animam exhalasset. ô interritum ad præstandam suam diligentiam sacris religiosissimis animum! sed excitabatur ad hanc laudem præclaris domesticæ virtutis exemplis. nam à Petro illo à Monte, Marchione, atque in exercitu Veneto tribuno militari, hanc indolem hauserat; cujus incredibilis in resistendo constantia, prodita memoriæ ac litteris est. hic, cum in prælio, ex vulnere, adverso corpore, excepto, videret intestina sibi diffluere, nihil animo consternatus, altera manu viscera, ne dilaberentur, cohibebat, altera fortiter hostem feriebat. similis huic nostro, in resistendo labori, constantia, sentiebat, deficientis animæ vires, tanquam viscera, sibi pæne concidere; & tamen fugientes eas retinebat, ut posset suo muneri diligentiæque sufficere. Sed quid plura ejus religionis argumenta requirimus? cum ejus testis locupletissimus, totus ille conventus, existat, qui octavo quoque die in domo professa

Soci-

Societatis Iesu habetur ad vesperam. Deus bone, quas ibi lacrimas fundebat! quæ suspiria, quos gemitus dabat! quas de se ipse verberibus pœnas ultro sumebat! quam multa alia demissi religiosique animi signa prodebat! quæ aut referri temporis ratio non sinit, aut divulgari secretissima sanctissimi illius loci religio non patitur. Et sane singula eorum, quæ dicimus, digna essent, quæ tum latius explicarentur, tum sæpius repeterentur. quamobrem, non tam oratoris quam monitoris partes apud vos agere videor. nam oratoris est, rem dilatare, atque omni verborum ac sententiarum flore conspergere. sed habet hoc, in inopia temporis, materia dives, ut homini diserto omnem eloquentiæ declarandæ facultatem eripiat. Etenim, quis possit esse copiosus in iis, quæ vix liceat verbis attingere? itaque necessitati parens, commonstrabo reliqua, vel potius digitum, ut ajunt, ad fontes intendam. Vos igitur, quibus ea sunt notiora quam mihi, recordamini illam ejus, in rebus maximis gerendis, prudentiam, virtutem, constantiam, fidem; quas in eo virtutes, non semel ac per transennam prætereuntes strictim aspeximus, sed sæpissime, & quam diutissime. nam eo tempore quo Cardinalis fuit (annos enim circiter quadraginta in ea dignitate complevit) longum virtutis suæ declarandæ spacium nactus est; ex multitudine negotiorum, quibus præfuit, magnam Reipublicæ sapienter & ex utilitate multorum administrandæ facultatem obtinuit. non est expectatum in eo tempus, cujusque facultatis explorator acerrimus, ut declararet, quid ferre ejus vires possent, quidve non possent; sed, statim ab initio sui Cardinalatus, habitus est idoneus, qui cujusvis negotiorum moli succederet. ideo in eum Cardinalium numerum adlectus est, qui, quoniam ad eum de universa fere Rep. refertur, proprio jam nomine Consilium appellatur. illi autem alteri, quo sacrorum rituum causæ disceptantur, non solum adhibitus est statim, verum etiam postremo, summa cum laude, præfuit. ædilium etiam consultationibus de muniendis, sternendis, dirigendisque viis præpositus est. Sed, utrum quis recte an secus se in honoribus agat, illud argumento est in primis, si majore honore dignus existimetur. cum igitur hic, Populi totius voce

ad Pontificatum max. expeteretur, non est dubitandum, quin honoribus, quos gereret, cumulatissime satisfaceret. quod si non tam est gloriosum, honoribus uti, quam honoribus dignum haberi, etiam si non pervenerit quo populi totius studio vocabatur, dicendum est tamen, nihil illi ad summam amplitudinem defuisse. Itaque gloriosa clarissimi viri memoria, non est prosequenda lacrimis neque luctu, sed admiratione ac laudibus usurpanda; ut, quotiescunque ea animum subeat, eum etiam ad similium virtutum imitationem incendat. &, quod importuno ejus interitu damnum Resp. fecit, spes est, ut ejus virtute quam primum reparetur, quem, velut imaginem illius humanitatis, virtutis, ac probitatis, aspicimus.

ORATIO XV,
LAVDATIONIS
GREGORII XV
PONT. MAX.
COMMENTARIVS.

EGregia atque præclara Gregorii XV, Pont. max. vita, ut est laudabiliter & honeste inchoata, ita etiam plausibiliter & gloriose transacta invenitur. nullus ejus actus sine plausu præteriit; nullum tempus, vacuum ab egregio aliquo facinore, effluxit. quod difficile existimatur, in longa præsertim vita, ut in nulla ejus parte titubetur, non solum id ille assecutus est, sed insuper adeptus, ut majorem in dies laudem promereretur. magnum est, vitæ cursum, tam multis undique septum periculis, sine offensione peragere; majus, aliqua eum cum laude tenere; quid dicam, summa omnium cum admiratione ejus metam attingere? hoc tantum est, ut vix quisquam animo assequi queat, ne dum oratione complecti. nam vix fas esse putatur, versantem in lubrico sine casu aliquo & prolapsione consistere. Sed nihil de ejus pueritia loquar. quod enim recte in ea, & cum aliquo probitatis officio gestum esse dicatur, non tam virtutis amor

amor effecisse, quam parentum disciplina à filio exegisse, vel metus ac magister ab invito expressisse existimetur; quæ autem consequitur ætas, si absit à vitiis, magnam ad dicendum vim affert. Qualis enim in eo adolescente indoles ad virtutem inhæreat, qui, liberam vivendi potestatem nactus, libidinum oblectamenta contemnat? Talis fuit adolescentia Gregorii. quam adolescentiam, non domesticis clausam parietibus habuit; non patriæ, quamvis maximæ, finibus abdidit; sed Romam, hoc est, in amplissimum orbis terræ theatrum, eduxit. neque enim, regendis urbibus natus, unius domi claustris cohiberetur, neque, orbis terræ imperio designatus, unius urbis mœnibus concluderetur. In hoc ille omnium populorum ac gentium domicilio, doctrinam suam, tanquam ex umbraculis paterni Gymnasii extractam, non modo in solem ac pulverem, verum etiam in ipsum discrimen aciemque, perduxit. nam, multos annos, judicandi onus, magna cum ingenii & eruditionis laude, sustinuit. sed translatus in hanc urbem, num generis nobilitatem qua præstabat, num opes & gratiam quibus florebat, suffragari sibi ad magistratus adipiscendos voluit? nihil ille ejusmodi artibus loci esse putavit, ubi virtutis adjumenta suppeterent. quod autem ejus cohonestandi partes, sola sibi virtus, non fortuna casusve, desumserit, illud argumento est, quod non raptim ut non nemo, sed pedetentim ut par est, non impetu sed gradibus, ad honores ascendit. ut enim casus & temeritas fortunæ est, ita consilium & ratio virtutis. itaque initium magistratuum gerendorum à Capitolio fecit; ut nimirum is populus, cui ipse futurus esset Pontifex, haberet aliquod ab eo tanquam specimen æquitatis atque prudentiæ. sed, uti in bello, qui recte unam vel turmam vel centuriam rexit, dignus judicatur, qui majores ordines ducat; ita etiam in Rep. qui unam ejus partem feliciter gessit, majori ampliorique regendæ aptus existimatur. Itaque albo Referendariorum adscribitur. Sed non ita multo post, redditur foro atque judiciis; ut hæc civitas, quæ ejus sapientiam atque doctrinam, tanquam ab adolescente præbitam, leviter ac timide, ut ita dicam, liguriérat, postea, à grandiore administratam, largius liberaliusque gustaret. atque eidem, Pontificis

Vicariæ partes regendæ tuendæque mandantur. hic, quod paulo ante dixi, multo clarius apparuit, videlicet ut, qui recte unum magistratum gessisset, aliud illi majus committendum videatur. nam ob eam Remp. præclare administratam, relatus est in numerum Auditorum Rotæ. Iam vero Bononia, quæ tantum lumen decusque pepererat, visa est illud sibi repetere, ut & præclaris domesticæ virtutis exemplis gauderet, & ab alumno suo eam consilii sapientiæque lucem acciperet, quam aliis ille populis late diffuderat. quapropter, Archiepiscopus factus, in patriam rediit. At eum illi Roma, ad certum aliquod tempus, non in perpetuum, dedit; commodavit, non elargitus est; ea conditione permisit, si major vis nulla reposceret. id quod evenit. nam Italico tumultu, cum omnia fere gravi difficilique bello ferverent, cum maximus fortunis omnium metus instaret, missus est ad extinguendam illam flammam. qua, summa cum felicitate, primo fere adventu compressa, Romam ad insignia Cardinalatus accipienda contendit, tam faustis populi Rom. studiis & acclamationibus, tam perspicuis majoris amplitudinis adipiscendæ prodigiis, ut Deus atque homines conspirasse ad ejus decus viderentur. nam vix eum ordinem est adeptus, cum ad alium longo intervallo superiorem Deoque proximum locum evehitur, tanto Cardinalium consensu, ut, ne consultandum quidem putarent, qui nam in Pauli V demortui locum sufficiendus subrogandusque videretur. Etenim, nemini eum honorem deberi, existimabatur, dum ille extaret. Sed puto, virtutem, quæ sola illi suffragata est, ad honores, tarditatis suæ pœnituisse, ac superioris temporis moram hac præpropera festinatione emendasse. Ita sese plerumque cursores in stadio remissius agunt, ut, metæ propinqui, totas ad currendum vires effundant. sed hunc fuisse virtutis, non fortunæ, conatum, declarat in primis illa ejus Pontificatus gerendi ratio atque prudentia. siquidem non fuit illi consilium, magnifica ædificia construere, vias latissimas sternere, novas aquas incredibili impensa perducere, sed alia, ad æternitatem nominis longe firmiora, conari atque perficere; nempe, Christianæ Religionis terminos late proferre, ejusdem fidei propagatoribus

ribus, itineris conficiendi gratia, annuam pecuniam in perpetuum adjicere, pauperes, ostiatim victum emendicantes, unum in locum coactos, suis sumtibus alere, viros morum sanctitate atque miraculis claros, ad numerum Sanctorum adscribere, principum virorum simultates inimicitiasque componere, viros omni dignitate principes, ac dignos eo loco ac nomine, in Cardinalium ordinem cooptare; aliaque id genus suscipere, quarum singula per se longam & copiosam orationem efflagitent. sed nihil ab eo factum est prius, quam ut bonas artes, temporum injuria neglectas & irrisas, & tanquam à libero spiritu & communi luce seclusas, revocaret ac restitueret. quibus revocatis, non angulum aliquem, quo se reciperent, dedit, non quodvis hospitium addixit, sed Pontificiam suam domum attribuit, intimos suæ aulæ recessus aperuit, aspectum suum, sedem majestatis, domicilium humanitatis ostendit; dexteram illam, sublevandis jacentibus natam, reconciliatæ pacis pignus exhibuit. ô miseram præteritorum temporum conditionem! ita ne, illud habitum esse turpe, quod est pæne solum honestum! ô perfectam egregii Principis laudem, nempe se judice, rerum pondera, tam indignis pretiis olim expensa, existimationi suæ reddita esse! quid illud, quod si hæc ætas non percepisset oculis, incredibile videretur, quantam laudem promereri debet! ô rem miram, & in qua omnes, qui audiant, obstupescant, unum perfecisse Gregorium, ut munitiones atque castella in faucibus callium Vallis Telinæ, magna impensa atque labore ædificata, summa eorum, qui illa excitassent voluntate, in potestatem Ecclesiæ venirent. magnus erat Italiæ universæ metus injectus. nam, quæ Rex Catholicus, Christianæ religionis studio incensus, adversus hæreticos propugnacula excitaverat, ea non nemo, ad suam perniciem extructa esse, falso opinabatur; liberi Italiæ ejusdem populi, tantas moles, ad se præsertim opprimendos, excitatas esse, clamabant; externæ nationes Regesque, se ab Italia in perpetuum excludi, ferre non poterant. is enim earum munitionum situs est atque natura, unde vel pauci, aut subeuntem hostem opprimere, aut ingentem hominum multitudinem, conantem irrumpere, prohibere facile possint; quamobrem,

ubique locorum, exercitus jam pæne conſcribi, arma parari, fœdera feriri, bella atque tumultus oriri. quod autem tantam malorum molem Gregorius exciderit, ſapientiæ, quod eas munitiones obtinuerit, autoritatis, quod ii, quorum ea res erat, ſua voluntate tradiderint, ſingularis cujuſdam probitatis fuit ac religionis. cum vero liberam Cardinalibus, ſummi Pont. eligendi, poteſtatem, lege, æquiſſime ſcripta, permiſit, quid niſi inertiæ, ambitioni, gratiæque, ad Pontificatum maximum, aditum, in perpetuum obſtruxit? cum Cardinalium eorundem fidem, in ferendo ſuffragio, ſacramenti omnium ſanctiſſimi religione conſtrinxit, quid niſi propoſitum veræ virtuti regnum, firmioribus præſidiis auxiliiſque munivit? ô ſtrenuum principem, & bene de humano genere meritum! quod multi cogitaverunt, pauci ſunt aggreſſi, unus rite perfecit; ut, ſi ceteræ laudandi cauſæ in illo deficiant, vel hæc una abunde exornatum omnium ſeculorum poſteritati commendet. hæc una perficiet, ut naturæ gratias agamus quæ illum genuit, virtuti lætemur quæ Pontificem fecit, huic ætati gratulemur cui tanto bono perfrui licuit, cælo invideamus quod nimis ad ſe celeriter illum arripuit. vix enim octo ac viginti menſibus in Pontificatu maximo vixit ille, qui nunquam mori debuiſſe videbatur. ſed non poteſt dici cito præreptus, qui ſpatium perficiendi id, quod bene cogitaverat, habuit; nec poteſt vocari breve tempus, quod totum eſt in perpetratione rerum maximarum abſumtum. Quamobrem, omiſſis inanibus querimoniis, ne noſtro magis incommodo, quam ejus interitu, lugere videamur, clariſſimi Principis memoriam grato animo proſequamur, atque omnia noſtra in id potius vota jaciamus, ut multos deinceps Pontifices, ejus quem modo experti ſumus quam maxime ſimiles, habeamus.

ORATIO XVI,
IN FVNERE
COMITIS IVLII CÆSARIS STELLÆ,
POETÆ CLARISSIMI.
Scripta Comiti Stellæ, ejus filio.

POstulabat omnino excellens Iulii Cæsaris Stellæ, patris mei, virtus, & egregia in hunc vestrum ordinem merita, Academici præstantissimi, ut idem pietatis officium, & grati animi monumentum, à vobis referrent, quod aliis præstantibus viris mortuis, summa cum pietatis laude, præstitistis. cur enim ille tacitus præteriretur, cujus præsertim præconio effectum est, ut toto orbe terrarum de vestris laudibus non reticeatur? cur ab hoc vestro eruditissimo cœtu, non aliqua vestri in eum amoris significatio foras emanaret, quo principe ausum est nomen vestrum, privatæ domus claustra perrumpere, & celeri cursu, Italiam primum, tum exteras gentes & nationes obire? At in me eligendo, non bene à vobis ejus laudibus consultum fuisse videri possit. multa sunt, quæ in eo, qui apud alios verba facit, requiruntur; sed duo in primis; autoritas, & eloquentia. at, qua tum autoritate polleat is, qui, si ejus annos numeres, nondum ex ephebis excessit? quantum eloquentiâ præstet, qui vix suspicari per ætatem possit, quid sit, dilucide, copiose, ornate, & eleganter dicere? jure igitur quæratur, quæ nam vos causa impulerit ad hanc provinciam mihi demandandam, infanti ac puero, præsertim cum tot viris, ætate, ingenio, eloquentia, doctrinaque præstantibus, abundetis. Non eo inficias, Academici, rudem hanc & infantem adolescentiam meam, cum tot clarissimis eloquentiæ luminibus collatam, nihil habere nisi tenebras,

tenebras, ac, si per se sola spectetur, patris mei claritati tanquam nebulam quandam aspergere. sed emicat quiddam inter meas tenebras, quod longe oculos feriat, neque sinat, se cujusquam splendore præstingui, quodque vos secuti, ceteris omnibus anteposuistis; videlicet, debita parentibus à liberis pietas. Etenim hæc, ex infantium ingeniis, voces elicit; hæc, quamvis tacita, multorum eloquentiæ præcurrit; hæc, si sibi dicendi partes assumat, iniquissimi cujusque sermones non pertimescet. nam, quid aliud poterit dicere, si quis in eo sensus, si quæ humanitas insit, nisi hic, ad laudationem patris, plus animi quam virium attulit, adolescens & filius? hac igitur pietate fretus, sequar, quo me benignitas vestra, quo parentis merita, quo filii officium vocat. & quamvis difficile sit filio, de patris memoria, sine lacrimis commemorare; tamen, & aspectus vester, longe mihi jucundissimus, qui me ad hilaritatem impellit, & illustris paternæ virtutis commemoratio, quæ ad similium rerum imitationem adhortatur, omnem ab oculis fletum avertet. ecquis enim ejus filii animum fletus obnubilet, cui tantus paternæ laudis splendor eluceat? ecquis dicentem dolor invadat, cui tam secunda afflet aura voluntatis assensionisque eorum, quorum autoritate ad dicendum accesserit? Sed, unde incipiam? ubi desinam? Etenim, in hac causa, tam multi sese fontes, uberrimæ copiosissimæque laudationis, ostendunt, ut, quem potissimum aperiam, ignorem. sed quoniam habenda est ratio diligenter & loci & temporis, ceteris fontibus relictis, eum libere sinam effluere, qui ab ingenii magnitudine & eruditione patris mei decurrit. neque enim convenit, eo in loco, ubi litterarum studia vigent; qui eruditorum hominum atque omni doctrina principum frequentia celebratur, quo tanquam in suam sedem ac domicilium confluit quidquid est ubique terrarum, in his elegantissimis studiis, summum atque perfectum, ullam cupiam laudem aliunde, nisi ex litterarum studiis, arcessere. ad quæ studia, atque ad poësin præsertim, eam parens meus, usque ab utero matris, indolem attulit, ut Apolline satus, Minervæ gremio exceptus, in Musarum nutricatu altus educatusque dici, poëtarum licentia, possit. difficile est, alterum invenire,

in quo magis extiterit verum esse, quod dicitur, poëtas nasci, non fieri. ita eum celeriter, non expectata ætate, ad optimos versus faciendos, natura ipsa incitata rapiebat. jam vero, quoniam illud ingenium, illa humanitas, illa virtus, ad litterarum gloriam, ad poëticæ facultatis decus, ad sui ævi laudem, ad hujus Academiæ ornamentum, extiterat; factum est, ut ejus ætatula in duos præstantissimos magistros incideret, M. Antonium Muretum, & Franciscum Bencium. parum videlicet fuerat, in eo naturam, quid efficere posset, expertam, nisi etiam fortuna ad id bonum, quod illa peperisset, alendum augendumque vires suas contulisset. his igitur magistris, ut dixi, in disciplinam traditus, ita ex clarissimis eorum officinis excessit, ut, Bencii ipsius testimonio, magistris major exiret. difficile memoratu est, qua ille ingenii celeritate, quidquid monstraretur, arriperet, ut, qui videret, posse se liquido jurare putaret, non id eum tum primum accipere, sed antea novisse, non tum primum intelligere, sed multo ante, cognitione scientiaque comprehensum, habere. accepi ab intelligentibus viris, eam fuisse Platonis sententiam, ut existimaret, rerum omnium intelligentiam non hominum ingeniis acquiri, sed ab eisdem, de cælo in terras, afferri, verum ex corporis commercio, oblivione, veluti rubigine quadam, obduci, eam postea rubiginem, magistrorum diligentia, discuti, itaque scire, nihil esse aliud nisi reminisci. hæc commenticia esse, neque ullis veritatis radicibus niti, veritas Christiana, quam ego profiteor, me dubitare non sinit. at, si vera essent, singularem in parente meo excellentiam, & quandam quasi divinitatem, arguerent. dici enim posset, non solum perceptarum à se rerum notitiam, præter communem hominum legem, è cælo retulisse, neque ullam ex communione corporis oblivionem contraxisse, verum illud etiam astrum secum comportasse, cui, ex eodem Platone, unius cujusque animus, quodam quasi vinculo societatis, adjungitur. atque, si in Poëtæ laudatione, poëtarum deliciis uti fas est, dici etiam posset, non tam eum ex gentilitiis insignibus, quam ab hoc astro, Stellæ cognomen invenisse. poterant hanc opinionem obtrudere primi illi ingenioli ipsius partus; qui, quemadmodum de

de Hortensio scribit Cicero, simul aspecti & probati sunt; poterat istuc idem ipsemet persuadere, in illa tenerrima ætatula, antea cognitus magister quam discipulus. quis, ea scripta legens, quæ nihil pueritiam, nihil scholam redolent, non ea à magistro potius quam à discipulo prodiisse existimasset? multi ad summum facultatis cujuspiam pervenerunt, at non pueri sed senes; multa multi, perfecta ingenio, & elaborata industria, ex sese dederunt, sed non statim extitit in eis aliqua, ingenii impoliti ac rudis, tanquam materia, quæ magistrorum præceptis & institutione formaretur. nec natura quidem, totum statim ex sese perfectum educit. est sua ætas fructibus, ad quam cum perventum est, maturitatem accipiunt; &, si qui ante diem maturuerunt, à succo destituti, celerius quam provenerant exarescunt. Sed quorsum hæc? quia ad illos libros Columbeidos, à se puero scriptos, festinat oratio. de quorum pulchritudine elegantiaque cum dixero, vereri non debeo, ne quid magnificentius locutus fuisse videar ut orator, vel cupidius ut filius. est opus in manibus; legitur, teritur, in ejus admirationem ingenii suspicitur. vix illi vigesimus annus advenerat, cum extrema operi manus accessit. at, dignum hominum conspectu, dignum eruditorum auribus, dignum immortalitatis præmio carmen, interioribus domesticæ latebræ recessibus latitabat; sed sua se luce prodebat; nondum inspectum erat, & diligebatur; ineuntis ætatis pudore, silentio premebatur, sed loquacis famæ præconio divulgabatur: verum impetratum est, vel potius expressum, ut posset aspici. at simul ac recens ejus pulchritudo oculos feriit, non solum admirationes, verum etiam clamores elicuit. unius vel alterius, cui operis illius inspiciendi potestas fuerat, testimonium, tanquam ad ejus spectaculum, omnes Latinæ eloquentiæ studiosos attraxerat; sed, prudens adolescens, quamquam egregia eorum in se hominum voluntate delectaretur, non tamen usque eo se ab hac secunda communis in se voluntatis aura passus est abripi, ut statim, quo illa impelleret, andaciter vela committeret; sed tantisper cursum inhibuit, dum doctissimorum hominum, eloquentia & eruditione principum, sententiam & judicium exquireret. quam modestiæ laudem

dem in patre meo, longe gloriosiorem, quorundam arrogantia efficit, qui indignantur, eorum, quæ scripserint, ut ita dicam, fastigium, majorum censuræ submittere; quo fit, ut, dum judicio, eruditione, prudentia, majoribus natu anteire se putant, in omnibus illis virtutibus longe infra suam ætatem esse inveniantur. Fulgebat, per id tempus, clarissimum illud eruditionis lumen, quique optime omnium poterat de ingeniis hominum judicare, Petrus Victorius; magnum poëticæ facultatis nomen inter omnes habebant, Petrus Angelius Bargæus, & Petrus Magnus: eminebat in Io. Tonso, omnis cultus humanitatis, omnis nitor ingenii, omnis splendor orationis; vigebant hæc poëtica studia apud Antonium Quærengum, qui nuper est mortuus. his, inquam, præstantissimis orbis terræ bonarum artium magistris, tanquam judicibus, poëma illud suum judicandum objecit. at, quis nam esset tantus operis cujuspiam nitor, qui, cum eorum luminum fulgore collatus, sideris unius instar habere, inter plures clarissimos soles, non videretur? quis nam tantus orationis cultus, qui, ad sermonis illorum elegantiam, sordidus obsoletusque non appareret? verum, usque adeo lux illa ingenii, clarissimis illis eruditionis elegantiæque luminibus, cum ipsis collata, sideris instar habere non est visa, ut ipsi etiam ultro faterentur, ad illius splendorem & claritatem, se potius stellis propiores esse, quam soli: usque adeo egregia operis illius facies, ad illorum facultatis pulchritudinem, non eviluit, ut etiam majorem sui admirationem excitaverit. at istorum, de quibus hactenus commemoravimus, testimonium, vix est communis officii fines egressum; at istius, ad extremum reservati, significatio & voluntas, progressa est longius. hic est vir ille, dum vixit, Græcis & Latinis litteris in primis doctus, omnium elegantissimarum artium ornamentis excultus, patriæ suæ lumen, Italiæ decus, sui ævi splendor, Carolus Sigonius. hic vir, inquam, ornatissimus, de patris mei laudibus non nihil fama & auditione perceperat, hominem vero de facie vix noverat: at, ubi absenti sibi elegantissimum illud volumen pervenit in manus, ea repente, ex operis excellentia, admiratio oborta est, ut exclamaret: O opus egregium! ô poë-

ma

ma divinum! ô carmen Musis & Apolline dignum! [illegible]que eatenus ejus visendi complectendique cupiditate [illegible]census exarsit, ut Romam veniens, non prius ad [illegible]tem quopiam diverterit, ubi lassitudinem sedaret, [illegible]neris molestias, aliquot dierum quiete, depelleret, [illegible] saltem ubi pulverem deponeret, sudorem absterg[illegible], calcaria detraheret, ocreas exueret; sed statim, ita ut [illegible] ocreatus, pulveris ac sudoris plenus, ad ædes patri[illegible] recta se contulit, in ejus complexum irruit, illam [illegible] vim ingenii, illam virtutis exsuperantiam, illam di[illegible] copiam, exosculatus est, atque singularibus verbis [illegible] gloriam gratulatus, quam sibi in perpetuum peper[illegible], ut non ita late heros ille, cujus res gestas suis ve[illegible] immortalitati mandaverat, Hispanici Regni fines p[illegible]lisset, ut ille gloriæ suæ terminos extendisset. id ab [illegible]mine clarissimo exauditum est de eo, quem vix asp[illegible]rat, de quo tantum audierat, de quo nulla erat causa [illegible] mentiretur. nimirum, non amor, non utilitas, non [illegible]bitio, sed veritas, eam ab homine libero vocem expr[illegible]rat. Hic denique est felix ille vates, cui, ex Fracast[illegible] vaticinio, tantum daturus erat Deus, *Vnus ut au[illegible] caneret majoribus, ausas Oceani intacti tentare pericula [illegible]pes.* quid mirum est igitur, si ea virtus, quæ ad im[illegible]talitatem nominis sibi viam communierat, ad princi[illegible] virorum gratiam aditum aperuerit? hinc Philippo [illegible] Hispaniarum Regi, cujus nomini illud opus sacrave[illegible], ob ingenium, admirabilis extitit; hinc aliis deinceps [illegible]spaniarum Regibus, ob splendorem nominis, non ob[illegible]rus. Summorum vero Pont. gratiam & studium, qu[illegible]admodum ob virtutem promeruerit, quid me attine[illegible]cere, vobis præsertim, quibus licuit oculis id, quod [illegible]quor, aspicere? nonne Clementis VIII, acerrimo [illegible]geniorum æstimatori, prope in amore ac deliciis fu[illegible]? nam patria eum caritate dilexit, consiliis suis intim[illegible] habuit, &, à negotiis publicis feriatus, in ejus oratione ac suavitate, omnem animi curam molestiamque de[illegible]suit. nonne, ingenii gratia, reliquis deinceps Rom. Pon[illegible]tificibus carus, usque ad extremum vitæ tempus, in eo[illegible]rum cubiculariorum numero adscriptus permansit, quos honorarios appellant? quem locum ac numerum ita

ille,

ille, dum vixit, obtinuit, ut difficile ſit judicare, utrum ille ordo ſibi, an ipſe ordini, majus attulerit ornamentum ac decus. Sed, quamquam hæc, quæ hactenus diximus, ad prædicationem nominis glorioſiſſima, ad exiſtimationem & decus honeſtiſſima, ad opes & gratiam utilia, patri meo contigerint, nunquam, ſummis veſtris in ſe beneficiis anteponenda ea eſſe, exiſtimavit. nimirum, dignum à vobis eſſe habitum, qui huic honeſtiſſimo cœtui, huic clariſſimæ orbis terræ litterarum frequentiæ, Principis honore ac nomine, non ſemel ſed iterum ac ſæpius, præficeretur; id vero gaudebat, id ſerio triumphabat. atque utinam longior illi vita ſuppeditaſſet; fortaſſe, veſtro beneficio ac munere, rurſus huic tanquam navi præpoſito, licuiſſet mihi vobiſcum una, ipſo moderatore atque magiſtro, ad virtutis portum appellere. Sed, quoniam ſuo magis quam ſuorum tempore, ab hoc Muſarum domicilio, ab hac eloquentiæ officina, ab hac bonarum artium ſede, tranſlatus eſt in æternos illos colles, ubi, pleniore plectro, Dei O. M. ac cæleſtium Heroum triumphos ac laureas concinit; audite eum, de loco illo ſuperiore, ita vobiſcum agentem: Ego, dum ætas tulit, dum per tempus licuit, dum vita affuit, veſtris ſemper imperiis parui, commodis ſervivi, ſtudiis obtemperavi; denique quantum ego eniti opera & labore potui, ſemper contendi, ne ulla in re meum à vobis deſiderari officium poſſet: atque earum rerum fructus, ſane magnos atque præſtantes, excepi; ſingularem videlicet benevolentiam veſtram, egregium de mea facultate judicium, tot eruditorum atque in omni genere doctrinæ principum, in eo honore, qui ſummus apud vos habetur, mihi ſæpius demandando, ſuffragia; ſed omnes mei labores eo ſpectabant, ut iſtum, quem mihi unicum natura filium attribuit, ſimul ac ea ætate eſſet, qua verſari inter vos liceret, aliquod ingenii ſui ſpecimen edentem aſpicerem: ſed, quoniam commune rerum humanarum fatum, hunc mihi fructum eripuit, quod vivo non licuit, mortuo concedite; ac, ſi ullum unquam fuit tempus, quo ego vobis voluptati atque uſui fui, vos oro, obſecro, obteſtor, ne cariſſimum iſtuc mihi pignus à vobis ſegregatum habeatis, ſed veſtro patrocinio tueamini. Ego eum vobis pro me ſubſtituo; ego vos

N illius

illius orbitati tutores adopto; vos eidem patres, patronos, ac dominos, trado. Hæc parens meus. Cum illius postulatis vota mea consentiunt, congruunt, conveniunt. Quamobrem pro illius studio ac voluntate, pro meis optatis ac votis, istud in me imperium, à parente vobis meo traditum, ac mea etiam voluntate commissum, accipite; meque eo, quo ille, magis ingenii bonitate quam alia quavis ope, pervenit, vestro ductu auspicioque per ejusdem vestigia perducite.

ORATIO XVII,
DE CHRISTI DOMINI ASCENSV.

Habita Romæ, in Æde Apostolorum Principis, in Vaticano, Ad Clementem VIII *Pont. Max. & S. R. E. Cardinales.*

SI Christus in cælum propterea abiit, B. P. ut omnis ab iis, qui se Christi discipulos profitentur esse, segnities ac socordia propulsetur, magna profecto virtus est, quæ in Christiano viro requiritur. ita enim, in arenam pugnaturus adducitur, ut soli, omnia obtinenti, rei nullius umbra officiat. Apostoli, omnibus rerum humanarum quasi tabernaculis dirutis soloque æquatis, unum tantummodo sibi reliquum fecerant, Christi videlicet mortalitatis umbraculum, quo trepidantes sese reciperent. id quoque evertatur necesse est, & in nuda receptaculis planicie, strenua Christi acies explicetur. sed non video, quamobrem, ô Christe, id fiat; tui rationem consilii assequi nequeo, ut ii, quos tuo sanguine peperisti, quique tua tibi sunt vita cariores, eo deducantur, ubi nullus periclitantibus tutus ad salutem locus existat. video, multitudinem hostium, quasi extra ripas diffluentem amnem, campos inundasse; auribus fremitum, tot millium, in armis stantium, accipio, superba tuorum perduellium

duellium agmina, ac præ paucitate tuæ gentis pæne innumerabilia, ingentes animos ac spiritus sumere, & certam sibi de ea victoriam polliceri, conspicio, apud bonos imperatores hic fere mos viget, ut, cui pauciores sint copiæ, hic se, loci alicujus fiducia fretus, defendat, & egregia ex eo prælia faciat. ignaris divini consilii, durum videri id possit; sed, quibus notum illud esse contingit, nihil est mitius, nihil magis cum ratione consentiens. vult enim Deus, nostram cum hostibus bellandi vim totam ab ipso pendere, neque commune aliquid tam fluxis & caducis rebus habere. adeo ut in hoc potissimum omnis Christianæ religionis sita sit laus, & hoc præsertim nomine sibi quisque victoriam de suis hostibus promittat ac spondeat, si nihil sibi in humanis præsidiis relictum sit loci; at, si quis ab hoc Dei præscripto discedat, & ad aliorum præsidia confugiat, non levem illi contumeliam imponit. magnam in dignitate & existimatione sua plagam accipit imperator, si milites sibi dicto audientes non habeat, aut si illi ita faciant arroganter, ut de illius officio desperent, aut ei præscribere audeant. prædixerat Christus, omnes, in Crucis prædicatione, in Euangelii præcones coituros, novas contra ipsos quæstiones instituendas, virgas expediendas, cruces parandas, nova atque exquisita supplicia excogitanda & invenienda; verum ii, adversus quos, tot tantique conatus, tanquam armatorum acies, instruerentur, caverent, ne quidquam illis humani, præter eam virtutem, quam divinitus ab ipso accepturi essent, opponerent; nam fore, ut nudi & inermes, nulla humana ope adjuti, victis hostibus, victores evaderent. at, quis dubitat, quin ea suavitas & humanitas Christi, quæ lapides etiam adigere ut se diligerent posset, sua dulcedine, Apostolorum corda demulsisset, eamque illis victoriam è manibus eripuisset? siquidem Spiritus sanctus, ad quem omnis illius victoriæ gloria refertur, cum terrenis affectibus, etiam erga Christi corpus, non commiscetur, neque cupiditatum turmas, quasi auxiliares cohortes, in societatem admittit. quid fiet igitur? quoniam, inquit Christus, tantis rerum incrementis mea hæc humanitas, quasi murus, opponitur, de medio removeatur; malo, vos triste mei desiderium

urgeat, quam tantorum jactura bonorum, sera pœnitentia, laceret atque cruentet: dolor de meis injuriis, sive potius Satanas, qui expetivit, ut cribraret vos quasi triticum, (utinam propositum non assequeretur,) franget atque comminuet, sed, fractos comminutosque, Spiritus sanctus, novus artifex, tanquam vas figuli, in aliud opus atque præstantius urgebit. Deinde, cum Apostoli, tot terras peragraturi, tot maria trajecturi, tot itinerum incommodá ac difficultates superaturi essent, quo commissum sibi munus exsequerentur; quid tam erat à rationibus illorum alienum, quam, aliquid objici, in quo voluptas eos aliqua, tanquam uno in loco consistere ac morari, compelleret? omnia igitur removenda erant, quorum interjectu, tot itinerum, tot laborum, tot victoriarum cursus impedirentur. quid est enim, cum properato opus est, quod abeuntis festinationem remorari tantopere possit, quam fertilis terra, atque omnium copia rerum abundans, quam viridis camporum ornatus, vestiti viribus colles, perlucidi fontium liquores, quam sicut terrenum aliquod cælum, quasi astris, distinctæ floribus valles? quoties Regnorum Provinciarumque domitores, exercitus, quorum vim impetumque, neque locorum angustiæ, neque fluminum oppositus, neque montium asperitates, retardarunt, regiones ad irritandas illiciendasque voluptates idoneæ retinuerunt! quoties, hac sæpe mora, est festinantis laus obtrita! quoties, ingentes spei gloriæque opportunitates amissæ! quis, ô Christe, æterna cæli felicitas, perennis animarum suavitas, immortalis rerum pulchritudo, suprema voluptas, summi Angelorum hominumque amores atque deliciæ, quis, inquam, si tu versatus inter nos esses, à labore ad otium, à periculis ad securitatem, ab itinerum molestiis, animum, ad te fruendum potiendumque, non transtulisset? quod nam fidei propagandæ studium, quæ negotii conficiendi celeritas, quæ nam hominum commoda, à suavitate humanitatis tuæ non essent in oblivionem adducta? equidem, de me ut fatear, si te semel nactus essem; mea culpa fuisset, si te unquam dimisissem. etenim, nulla me vis, manibus & brachiis, pedibus inhærentem tuis, avelleret. quid? si præsentiam nostris ab oculis suam nunquam Christus removisset,

removisset, nonne omnium animos acuisset ambitio? quis nam futurus fuisset contentionis atque certaminis inter homines finis? quis non cum altero, de loco, certasset? quis non manibus pedibusque, ut dicitur, elaborasset, ut primas, apud Christum, autoritatis gratiæque partes haberet? Quæ quam vera sint, ineptum filiorum Zebedæi postulatum ostendit, qui matris ore petebant, ut unus dextera, sinistra alter, Christum adsederet, adeo ut medius ille ex tribus, quod apud illas gentes honori ducebatur, existeret. omnis igitur labor, ipso præsente, constitisset, ac jacta summæ ambitionis magnarumque discordiarum semina fuissent; quarum sationem, ab animarum nostrarum campo, tantopere prohibuit Christus, primum, quum discipulis, indigne ferentibus superbum & ambitiosum duorum illorum fratrum postulatum, ad se vocatis, Quicunque, ait, voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus: deinde, cum nobis, quos, non aliis magis præceptis, quoad vixit, insecutus est ut erudiret, quam humilitatis, quæ sola omnes discordiarum causas eradicitus ex animis extrahit; cum, inquam, nobis præcepit, ut, ad nuptiarum solemnitates invitati, imi potius lecti convivæ, eligeremus esse, quam summi; hoc est, ut ipsi, nos existimatione nostra infra omnes homines esse, deputaremus; hoc enim est, quod ipse ait, in novissimo loco decumbere. ne igitur ad ea, quæ subeunda sunt, nova discrimina, Apostoli, tardiores facti, torpescant, omnis otii ac voluptatis causa subducitur, atque, ne dissensionis ramos truncosque eliciat atque diffundat, id quod speciem gerit amoris atque pietatis, inclusum semen ab ipso enecatur & eliditur; &, quemadmodum, qui sunt, in suos agros, adventus hostium excepturi, terras urere, vicos subvertere, alimenta corrumpere, soliti sunt, ne, si ibi, ubi commeatu abundet, hostis insistat, inde rejici difficilius possit: ita etiam Christus, qui optime omnium nosset, rerum terrenarum cupiditates, ac nostri ipsorum amorem, quo nullus Spiritui sancto capitalior est hostis, in animum nostrum, ut ejusdem potiatur, invasurum, quo nihil, quocunque se vertat, unde ali possit, inveniat, locum omnem, ad quietem ac volupta-

tem idoneum, destruit, soloque exæquat, quidquid est jucundum ac delectabile, vastat, orbemque terrarum nudum sterilemque relinquens, vastam illi quasi solitudinem facit. hic non possum quin exclamem: O mirum Spiritus sancti candorem, qui cum ea dilectione, quæ in Christi corpore versatur, includi recusat! hîc vos putate, ut ego non dicam, num se ad eos applicaturus sit, quos vita inquinatissima ac sordidissima, in omnium turpitudinum luto, totis vestigiis demersos hærentesque detineat. O cupiditatum onus non ferendum, quarum gravitate ita enervatur atque opprimitur animus, ut ea etiam cupiditas, quæ aliquam, ad sensus permulcendos, à Christo voluptatem aucupatur, ad terram illum affligat atque propellat. *Multa habeo*, Christus inquit, *vobis*, Apostolis meis, & gloriosi laboris consortibus, *dicere, sed non potestis portare modo.* quidnam, obsecro, erat, quod adeo vires illorum infringeret, ut tum non essent illi oneri ferendo pares, quod postea eorum esset humeris imponendum? profecto erat ille, qui in Christi corpore volitabat, amor. hic, utpote mortalis atque terrenus, eorum corda, plusquam erat opus, urgebat; hic amor, ut moli illi, quæ esset à Spiritu sancto imponenda, humeros possent subjicere, ab ipsorum cervicibus erat antea depellendus. ut enim nemo sit novi oneris capax, nisi illud, quo gravatur, antea deponat: ita etiam, nemo divini amoris divinorumque ejusdem mysteriorum capere magnitudinem potest, nisi qui antea humanis solicitudinibus animum exoneraverit. Sed perge porro; tibi enim, Christe, assentior, tuam Apostolis præsentiam magno esse ad reliqua impedimento; quid igitur, te illis erepto, præcipis, ab Hierosolymis ne discedant? quid eos jubes, intra unius conclavis parietes, paucos etiam hos dies, hærere? ideo B. P. hæc illis quies indicitur, ut distractum in varias curas & ancipites animum colligant atque confirment. ubi milites, hostium, acriter pugnantium, timor invasit, cognito pavore exercitus, haud rudis tractandi militares animos imperator, jubet classicum primum, ut consistant, canere; tum fessos jubet acie excedere arma deponere, corpora curare, ac tantisper quietos esse, dum, metu ejecto, pariter animos atque arma recipiant. neque

etiam

etiam hîc ulla sit admiratio, si Apostolis, ea crudelitate, quæ in Christi nece debacchata est, ingenti terrore concussis, eatenus consistere imperatur, quoad, soluti terroribus, à Spiritu sancto rursus in hostem procurrere jubeantur. At tum id, inquies, Apostolis imperatum jure fuisset, si eorum adhuc animos occupatos oppressosque ea formido detinuisset, quæ illos antea exanimaverat; sed, quid si jam, omni metu depulso, se satis alacres ad pugnam reddiderant, nonne frustra omnis illis dimicatio interdicebatur? quis poterat dubitare, quin omnem veteris discordiæ infamiam & suspicionem extinxissent ii, qui adorantes reversi sunt in Hierusalem, cum gaudio magno? verum, quamvis non minimum illis animi ac roboris, ex Christi in cælum abitu, accessisse, non sit eundum inficias; tamen, quid habuisset rationis, modo è regione timoris atque formidinis, naufragos jactatos, ad cujuspiam fiduciæ littus expulsos, rursus, in eosdem fluctus tempestatesque conjicere, antea quam acciperent virtutem supervenientis in eos Spiritus sancti, qui, navis gubernatoris, ac remigum, munere fungeretur? quomodo se maximæ temeritatis crimine eximerent ii, qui navim, sine ministerio nautarum vel remigum, sine malo, sine velis, sine gubernatore, hyemi fluctibusque committerent? quomodo damni, quod navis faceret, culpam effugerent, si vel eam venti turbinesque, raptam, ad saxa scopulosque devolverent, vel quassatam laceratamque fluctibus, suscitati vortices, in profundum, ingenti cum fragore, detruderent? at nihilo minorem in fraudem illi delapsi fuissent, qui Ecclesiæ navim, concitatis iniquorum animis, sine Spiritus sancti regimine, qui solus eam poterat felici in portum cursu dirigere, ad manifestissima ac certissima pericula, è litoris statione, solvissent. quomodo, qui ad ancillæ vocem expavit, fixas sibi cruces eluderet? quomodo, qui inhorrescens alteri mare, positus in tuto cohorruit, imperterritus, concitatos sibi acrioribus ventis fluctus tempestatesque subibit? non pigeat igitur, ecclesiæ naviculam tuto tranquilloque in loco tantisper includi, dum gubernator adveniat, eamque velis remisque ita instruat, ut eisdem, everberatum mare humanæ feritatis & iracundiæ, cedat. postremo, ideo

 Christus

Christus voluit, ut Hierosolymis Apostoli, tanquam vallo quodam, continerentur, antea quam, distributis orbis terræ partibus, singulas singuli, divini verbi gladio, quem Christus venerat mittere in terram, expugnarent subjicerentque: quia cum multi ex Iudæis credituri essent per verbum illorum in ipsum, unde melius probare in populis ac civitatibus poterant, vera esse quæ dicerentur, quam si ex ea urbe, in qua illud tam atrox crudelitatis exemplum editum fuerat, quam plurimos testes domestico præconio colligerent? interim, utcunque sit, ille jam celeres in cælum dirigit cursus, & summas aëris regiones, immensumque ætherem, admirabili celeritate percurrit, atque, exortæ repente nubis oppositu, intuentium oculis sese subducit. Sed quid tam propere te, nubes, cælo diffundis? cur, tam cito, spectaculum illud, quo nullum superis futurum sit pulcrius, illorum oculis invides, qui eatenus illo sint cărituri, quoad mortalis vita suppeditaverit? cur illico, quidquid lucis internitebat, avertis? cur tanti nitorem sideris condis? Sed, quoniam, triumphator gloriosissime, tuus hodiernus hic honor totus utilitati nostræ gloriæque deservit, quoniam, (te nostris ab oculis sublato) breve hoc tui desiderium, æterno futuri temporis spacio, compensandum est, quo te frui licebit; unum à te deprecamur, ne ea nubes, qua nunc amicus nobis atque propitius, tanquam triumphali curru, invectus, cælum ingrederis, postmodum te; cum imperio ac potestate redeuntem, iratum & alienum referat atque constituat.

ORA-

ORATIO XVIII, quæ est prior DE S. SYMPHOROSA MARTYRE.

GAudium, voluptas, Angelorum atque hominum, Christus Dominus, B. Symphorosam, cui hodie natalitia dantur, *habitare facit in domo*, patris nostri cælestis, *matrem filiorum lætantem.* Atqui, si sanctis martyribus suis, inter æstus flammarum, inter sonitus crepitusque plagarum, inter acies securium, inter laniatus ferarum, inter sævas carnificum manus, summam sæpe lætitiam excitabat, ut, tanquam si essent in lectulo, clamarent, Quam suavia sunt hæc! quam dulcia! quamque expetenda! quam inexplicabili hilaritatis voluptatisque magnitudine hanc beatissimam in cælo matrem excipiat oportet, ubi, qui fortiter pro sui nominis gloria demicarunt, defuncti malis omnibus, rerum gestarum mercedem accipiunt? si, tanta erat in bello delectatio, quantum esse debet in victoria solatium? si tanta erat in dimicatione alacritas, quæ nam esse debet in triumpho hilaritas? si tanta in cruciatibus suavitas inerat, quæ nam esse debeat in voluptate jucunditas? sed terrarum etiam orbis, clarissimam istam victoriis ac triumphis feminam, unde tantus, generi hominum, honor ac decus accessit, iis quos potest honoribus ac laudibus afficit, conaturque, lætitiæ illi sempiternæ, qua in cælo victrix exultat, aliquem quasi cumulum addere. Sed incertum est, utrum, sua gloriosa fecunditate, plus cælo boni an terræ, pepererit, Angelis an hominibus dederit. ac terra quidem, nova se ac generosa prole ornatam atque auctam gaudet; cælum vero, octo se civium præstantissimorum numero locupletatum, exultat. hominum genus, jure humanitatis, sibi eos vendicat; cælitum vero civitas, propter sortis ejusdem societatem & gloriæ, sibi eosdem

 usurpat,

usurpat. sed, quamquam felix hæc parens, tot ac talibus filiis edendis, ab Angelis & hominibus gratiam inierit, videri tamen potest, cælo magis, quam terræ, consuluisse. nam, cum terræ eos peperit, terrenum hoc domicilium clarissima ac venustissima quidem prole ornavit; sed ad breve nescio quod tempus: at cælo, cum genuit cives sanctorum, & domesticos Dei, in omni æterni temporis spatio permansuros exhibuit; terræ, ad breve certamen, produxit; cælo, ad æternam coronam gloriamque progeneravit; terræ eos tantum commodavit; cælo, nunquam repetitura donavit; terræ, cum dolore procreavit, utpote Evæ maledicto subjecta, cui dictum est, *In dolore paries filios tuos*; cælo, cum gaudio, peperit, quia nihil, ad communem nascendi conditionem partus ille spectabat; terræ eos solicita edidit, nimirum incerta, quos vitæ exitus essent habituri, bonos an malos; cælo, otioso eos animo reddidit, quem, securum, stabilis eorum, in fidei confessione, constantia, omnium tormentorum acerbitatibus longe superior efficiebat. Christianis eos sacris initiaverat, optimis moribus erudierat, ad certamen pro Christo fortiter subeundum, tum oratione, tum præclaris domesticæ virtutis exemplis, excitaverat, pulcherrimæque mortis appetentes effecerat. quos igitur, nascentes, ad vitam cum metu suscepit, eosdem, adultos, ad crudelissimam mortem, cum gaudio, dimisit. Sed, quamvis, in hac gloriosa hujus beatissimæ matris fœcunditate, potior fuisse videatur cæli, quam terræ, conditio, attamen, nihil altera alteri suum decus & gloriam invidet, sed gratulatur; non, sibi minus fuisse concessum, queritur; sed Dei benignitatem tellus extollit, quæ, ex suis filiis, suo limo compactis, nova pulcherrimis cæli regionibus ornamenta quæsierit. Sed, ut ad B. Symphorosam, unde paululum digressa est, revertatur oratio; illud fortasse nonnihil potuit ejus, è vita decedentis, cor animumque pervellere, quod sola, sine illis, cælum ovans ingrederetur. sed, nullo modo, turbidæ istius cogitationis quasi nigritia poterat ad infuscandam purissimam illius voluptatem influere. etenim, eos illa non deserebat, sed antecedebat; non illorum certaminum expers proficiscebatur, sed eorundem futura è cælo spectatrix, abibat; pro certo sciebat

bat, non suis tantum triumphis cæli cives exhilaraturam, sed summam etiam illis, ex filiorum victoriis, de se, quæ tales filios genuisset, voluptatem allaturam. interim illa, alacri promtoque animo, mortem, hoc est, extremum rerum omnium, oppetit; quod non esset nescia, ab hoc aditu gradum sibi fieri ad vitam, ad immortalitatem, ad gloriam. Est quidem dolor in morte, est hujus vitæ commodorum amissio: at est in Christo, cui illa persolvitur, voluptas, est bonorum æternorum consecutio. habet, nec inficior, ultimum supplicium infamiam, habet dedecus, habet horrorem; sed habet Christus, cui illud subitur, decus, habet gloriam, habet honorem. non est, mors talis, luctu prosequenda, sed gaudio; non est fugienda, sed votis omnibus expetenda; non turpis, non indecora, non vilis, sed pulchra, sed jucunda, sed *pretiosa est in conspectu Domini, mors sanctorum ejus.* quod, si mors isthæc, tot tantisque bonorum muneribus affluit, hanc gloriosissimam martyrem, in profluentem injectam, non tam amnis illius fluctibus obrutam, quam torrente voluptatis submersam existimo. quarum voluptatum cursus, perennis ac profluens, non ex unis, sed ex pluribus, in unum coëuntibus, aquis, exibat. quædam enim voluptates, ex propriis suis bonis, quædam ex filiorum, in omni virtutum genere, copia, prodibant. lætabatur, quod, defuncta hujus turbulentissimi maris periculis, portum aspiceret. explebat illi animum agnus cælestis, cujus felicissimas nuptias sanguine ac vita coëmerat. cumulabat eam gaudiis immortalibus immortalis illa felicitas, quæ futura erat, tam exigui laboris, æterna merces ac præmium. Atque, hæc erant illius propria, alia porro, ex liberorum suorum commodis, tanquam auxiliares aquæ, ad explendum ejus felicitatis amnem decurrebant, seque cum eo miscebant; videlicet, egregia adolescentium virtus, vitæ innocentia, morum præstantia, in periculis fortitudo, in laboribus patientia, in obeunda, pro Christi nominis amore, acerbissima morte, alacritas. Itaque, quot filios susceperat, totidem etiam sibi lætandi gaudendique fontes aperuerat; quot, in eorum animos, semina virtutum inseverat, totidem sibi cælestium voluptatum origines causasque pepererat. quisnam igitur se illi gaudio mœror fuisset

fuiſſet auſus inferre, ad quod explendum, tot præterea voluptatum fluenta, à tot capitibus orta, decurrerent? Si ex duobus liberis, in quinquennali illa celebritate ludorum, corona donatis, tanta patri lætitia oborta eſt, ut subita morte conciderit, nonne ſeptem clariſſimi totidem filiorum triumphi, ſola lætitiæ vi, materno corpori animam potuiſſent eripere, ſi ejuſmodi lætitia eam naturam haberet, ut ſua magnitudine quempiam opprimeret? vitalis eſt illa lætitia, non mortifera; poteſt quidem mortalis honor, immodice exceptus, mortem afferre, at immortalis gloria quemquam vita ſpoliare non poteſt. quid? Getulii viri ſui, & Amantii fratris, pro Chriſto interfectorum, coronæ, nihilne in ejus vim lætitiæ influebant? nonne, domeſticæ propinquorum laudes, in noſtrum quoque decus gloriamque redundant? ô domum fœcundam triumphis, copioſamque victoriis! quæ nam, ex veteribus Romanorum domibus, pugnarum, victoriarum, ac triumphorum, numero, qualitate, magnificentiaque, cum iſthac comparare ſe audeat? valeant omnes, Marcellorum, Scipionum, Metellorum, Lentulorumque, familiæ: nam, ſi illi depugnata à ſuis majoribus bella, narrabunt, hæc longe plura atque majora certamina, à ſe commiſſa, commemorabit; non cum hominibus ſuſcepta, ſed adverſus principes & poteſtates hujus mundi, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus; ſiquidem terribiliores ſunt ii hoſtes, qui aſpectum noſtrum effugiunt, quam qui ſub illum eundem cadunt. ſi jactabunt illi victorias ſuas, multæ etiam ex hac familia palmæ proferentur, eo ceteris glorioſiores, quo præclarius eſt atque glorioſius, ſe ipſum vincere, quam innumerabiles hoſtium copias fundere atque delere. ſi, triumphis illæ ſuis inflatæ, elatius ſe gerent, in hoc quoque genere à domo iſta ſuperabuntur, cujus triumphi eo ſunt nobiliores clarioreſque, quo pulcrius eſt, de vitiis triumphare, quam, ante triumphalem currum, multa captivorum millia, catenis onuſta, adducere. Quamobrem, ſi animi ſecuritatem, ſi decus, ſi gloriam, ceteris rebus potiorem habemus, ſi ad veri honoris faſtigium properamus, ea via nitamur, quæ ſanctiſſimæ hujus martyris ejuſque filiorum impreſſa veſtigiis apparet; eorum mores imitemur:
inde

inde exemplum vitæ expetamus, sibi quisque simile. nam, si quæ sævior vis ingruat, in Deum, qui nobis est causa patiendi, mentis aciem intendentes, nullum tristitiæ, nullum timiditati, nullum adversariorum incursibus, locum præbebimus, sed, victis hostibus, hilares ac læti, triumphali curru invecti, cælestem affluentemque bonis omnibus patriam ingrediemur.

ORATIO XIX, quæ est posterior.

DE S. SYMPHOROSA MARTYRE.

HOdie, Auditores, ut nostis, fœminæ natalitia dantur, Beatæ videlicet Symphorosæ. quisnam igitur non facilem sibi fore de mundo victoriam existimet, quem vincere muliebris etiam infirmitas noverit? hodie, matris, in æternam vitam, natalis dies, anniversariis sacris, summaque ab Ecclesia religione colitur. quid nam inde matronas æquum est discere, nisi, posse etiam inter domesticas curas ad summum sanctitatis fastigium ascendi? hodie martyris natalitia celebrantur. quis non erubescat, se præbuisse aliquando vitiis assensum, quibus muliebris virtus, usque ad sanguinem, restitit? nihil, imperterrita, mortem extimuit, unde gradum ad vitam fieri non dubitabat. Solet quidem esse mulier, sedes ac domicilium ipsum timoris; sed quis nam timor suas contra eam copias esset ausus adducere, in cujus propugnaculis stabat caritas, fortiter dimicans? quæ caritas foras mittit timorem, neque eum patitur contra se gradum attollere. profluentis undas, in quas dejecta est, hausit interrita, sciens, ardori, quo intus æstuabat, nullum posse flumen officere, nullasque, quantumvis ingentes, aquas caritatem exstinguere. moles quidem, ejus alligata collo, deprimebat corporis pondus in flumen, sed eadem properanti sursum animo, tanquam alas addebat. membra quidem,

dem, circumfusus irrigabat humor, sed, flagranti in visceribus amori, acrius excitabat incendium; qui amor, recta in Deum via contendens, omnem superfluam curam rerum familiarium, solicitudinem omnem inutilem, liberorum dilectionem, tanquam Olympici montis celsitas imbres tempestatesque, infra suum fastigium esse jubebat; quorum etiam jacturam ingentis sibi lucri loco esse ducebat, ut cum Apostolo diceret, *Omnia hæc, arbitrata sum ut stercora, ut Christum facerem lucri.* quamquam liberorum amor, eatenus erat illi vilis, quatenus communicabat carni & sanguini. nam, qua Deum parte spectabat, erat illi pretiosus & carus; ceteris autem in rebus eos oderat, sed perfecto odio, sed eo odio, quod in amorem præstantissimum exit; quod videlicet neque vitiis adhærescit, neque ad labefactandam interiorem animæ substantiam commeat; quo, non pejus illis quam sibi, esse consultum volebat. nam æquali in illorum corpora atque in suum odio ferebatur; quod odium, ex Christi sententia, in hac vita cultu est optimum, quod specie ac nomine tenus est odium, re autem vera amor eximius. neque tui corporis, sive tuendi, sive perdendi, alia potior est ratio, quam tuum in illud odium aut amor. nam, si illud diligis, perdis; si odisti, in omnem æternitatem tueris ac servas. Atque eatenus hoc salutari eos odio prosecuta est, ut perditos quam florentes, afflictos quam erectos, mortuos quam vivos, pro Christo, maluerit. at, si quæ forsitan solicitudo vel cura comitata est, è vita migrantem, ea profecto fuit, ne aliquando illis, magis res bonæ quam malæ, secundæ quam adversæ, voluptariæ quam laboriosæ, placerent: ac propterea aspexisset eos libentius, se præeuntes, quam subsequentes ad præmium: sed nihil horum, egregia juvenum eorundem virtus, ex se dedisset, in quorum animos ea Christi fides radices immiserat, ut nullum inde cupiditatum humanarum germen emergeret. eos etiam in eosdem, jejunia, labores, castitas, caritasque non ficta, spiritualis solatii succos infuderat, ut omnes voluptates respuerent, quæ non à Christo defluerent. tum, in pulverem, in solem, in aciem descensuri, de loco peregrinationis & de valle lacrimarum exibant; non autem de convivio pinguium, aut de terra suaviter

viter

viter viventium, egrediebantur. jejuniis pasti, contra carnis illecebras depugnabant; ciliciis loricati, contra inanem seculi gloriam fastusque prodibant; vilibus amiculis tecti, adversus mundi delicias ibant; spe certa immortalitatis induti, contra tyranni minas, arma sumebant, scutum videlicet fidei, in quo possent omnia tela nequissimi ignea exstinguere. quæ nam igitur terrenarum rerum cupiditas, quis nam mortis terror, in tam egregie munitos irrumperet? quis nam in eis locus pateret, ad hostis sævissimi vulnus? potuit quidem carnificis ferrum penetrare illis in viscera, potuit bifariam corpora findere; sed nullus cupidinis vel timoris gladius pertingere ad divisionem animæ valuit. ad hæc, quamvis propriæ virtutis ardore inflammati prodirent in bellum, tamen parentum quoque exemplis incensi, illud idem aggrediebantur alacrius. uterque, similium bellorum pericula, fortiter inierat; uterque hostem fugaverat, ferierat, debellaverat. non audet se timor inserere, ubi alienæ laudis æmulatio viget; ille, inquam, timor ignavus, quo quis molliter vulnera ac mortem exhorret; non ille generosus, quem, dubius rerum eventus incutit, quoque veremur, ne expectationi hominum pares non inveniamur; hic enim, virtutis comes individuus, nunquam ab ea sejungitur. licuit igitur huic præstantissimæ fœminæ, de virtute constantiaque liberorum securæ, cæli fines attingere, licuit è custodia corporis egredi, ægritudine illa solutæ, qua vel poterat affici, quod illud sibi spectaculum, passio videlicet filiorum, eriperetur, quo nullum Deus habebat pulcrius in terris, vel quod ea sibi de Deo bene merendi occasio subduceretur, qua nulla locupletior objici poterat, nimirum, ut, cum parens magis filiorum vitâ vivat quam suâ, septies in eorum cruciatibus pateretur, septies in eorum mortibus moreretur, septies in eorum victoriis vinceret, septies in eorum triumphis coronaretur. nam primum, quamvis jucundissimum illud spectaculum, ejus ab oculis abfuit, animi tamen aciem, quæ multo videt acutius atque perfectius, non effugit. hac in cælo, una cum Deo atque Angelis, quibus præsertim certamen illud dabatur, inexplicabilem hausit voluptatem. deinde, quamvis se, ex filiorum carnificina laniari,

niari, ex eorundem morte vita ſpoliari non ſenſiſſet, fiebat tamen, quia vita parentum propagatur in filiis, ut mortua in eis viveret, pateretur, moreretur, vinceret, triumpharet. immo, ante filios, cæli regno excepta, præter ea quæ diximus, illud etiam bonum aſſequebatur, ut nullis perturbationibus poſſet impelli. etenim, corporis ſenſibus alligata, vix potuiſſet ſine aliquo animi motu conſpicere ſævientes in liberum corpora carnifices, tumultuante intra maternæ caritatis viſcera carne & ſanguine; at, ſoluta hujuſmodi vinculis, nihil ſupererat, quod contaminare liquidam ipſius voluptatem poſſet. qua igitur lætitia efferebatur, cum, plaudentibus Angelorum choris, egregia liberorum ſuorum virtus, omnibus tormentis ſuperior, extiterat! quibus gaudiis exultabat, quoties, quæ erant ab illis feliciter geſta, ſuis laudibus aſſignabantur! etenim, ut liberorum quiſquam fortiter aliquid fecerat, ita illa exultantium Angelorum gratulationibus excipiebatur, ut, quiſquis certaminis victor pronunciabatur, ita etiam ipſa, in illius victoria, victrix, Angelorum præconio, citaretur; ut quiſque filius ex ſuarum virtutum meritis ornabatur, ita etiam, in illius laudibus, matris nomen inſereretur. denique, inter fauſtos acclamantium plauſus, illa identidem vox exaudiebatur: O beatæ matris fœcunditatem glorioſam! & vere glorioſam. nam bis, fœcunda, eos peperit; ſemel, cum labore, iterum cum voluptate. octies ſeſe Deo victimam obtulit, ſemel in ſuo ſanguine, ſepties in liberum morte, multiplici, coronarum octo, ſplendore, renidet. quarum una, propriæ virtuti eſt partus, reliquæ ſunt illi communes cum liberis. aurata inſidens rheda, ſtelliſque diſtincta clariſſimis, agit octo magnificentiſſimos ex devicto hoſte triumphos; unum ex ſua, reliquos ex glorioſa liberorum victoria, multis ad ſe partibus pertinentes. nunc, ſe eſſe matrem, gaudet; nunc, ſepties ex partu laboraſſe, lætatur. cariſſima ſibi pignora à Deo commiſſa & tradita, non ſegni devicta otio, & tanquam ſitu quodam obducta, ſed honeſto labore nitida & colluſtrata, reſtituit; non fœdis mancipata vitiis, ſed egregiis, libera, virtutibus, exhibet; non hoſtium inſidiis excepta, non armis evicta, ſed ſpoliis inimicorum onuſta, ſed victoriis aucta, ante oculos

oculos summi Imperatoris Dei, constituit, eam se nunc voluptatem esse adeptam intelligit, quæ nulla unquam ægritudinis fæce turbetur; iis sese nunc bonis præditam sentit, quæ nullo malorum confinio lædantur.

ORATIO XX.

Illustrissimo ac Reverendissimo

D. FABIO CHISIO,

EPISCOPO

NERITONENSI,

& Sedis Apostolicæ apud Vbios Nuncio,

IANVS NICIVS

ERYTHRÆVS

S. P. D.

Romano Pontifice, quod te non fugit, exstincto, cum sacer Cardinalium Senatus, de altero Pontifice in æmortui locum subrogando, deliberat, eo ipso die, quo Conclave ingreditur, solet aliquem sibi doctum & gravem virum excitare, qui sui ipsum officii admoneat, ut suis illum suffragiis eligat, qui sit omnium optimus ac præstantissimus. Itaque, Vrbano VIII *vita functo, cum non esset aliud, in quo me exercerem, finxi, has mihi partes fuisse demandatas; atque orationem hanc scripsi. quam postea eo amandare cogitabam, quo ineptas alias chartas soleo. satis enim magnum me ex ea fructum percepisse existimabam, si otium, quo diffluo, neque illud levia & inania aulæ mihi officia eripiunt, honeste ac laudabiliter consumsissem.*

sumsissem. Et, cum jam in eo essem, ut eam dilacerarem atque conscinderem, cohibui me, & eatenus id facere distuli, quoad ejus tibi legendi potestatem facerem; quod videbam, in ea optimi Pont. forma, quam oratione comprehenderam, te recte includi. Nam quivis Episcopus omnes eas virtutes, ad gregem, sibi commissum, tuendum, debet afferre, quas in Romano Pont. praesertim desiderari contendimus. Lege igitur; &, postquam legeris, vel eam Nihusio mitte, ut aliis orationibus inserat, vel illud de ea statue, quod mihi erat in animo facere. Vale. Romae, Kal. Febr. CIƆ IƆC XLV.

AD
S. R. E. CARDINALES,
cum, post obitum Urbani VIII, Conclave ingressuri essent, scripta, exercitationis causa.

NOn dubito, P. A. quin haec mea oratio, hoc tempore, superflua ac non necessaria fuisse existimetur. tum potuit fortasse nec inutilis nec importuna censeri, cum in eligendo Rom. Pontifice, palam saepenumero, ac voce, suffragia ferrentur. tunc enim non alienum à re tanta videbatur, aliquem excitare, qui de loco superiore contenderet, in electione Rom. Pontificis, nihil tribuendum esse gratiae, nihil amicitiae dandum, nihil opibus concedendum, sed hominum potentiae, ambitioni, ac minis, toto pectore resistendum. nunc vero, quum, lege sanctissime scripta, tota haec suffragandi ratio in perpetuum sublata sit, quum Patrum amplissimorum voluntates, quibus interdum, tum officii tum necessitudinis cujuspiam ratio, vim afferebat, in caligine secreti suffragii, tanquam in praesidio, libertatem suam collocatam habeant, vix ullum cohortationi locum esse relictum intelligo. deinde, quae vox, quae latera, quae vires, rationem officii

officii vestri vobis efficacius ante oculos ponant, quam verba illa, quibus, in ferendo suffragio, jusjurandum concipiendum erit? quæ verba, si legentibus terrorem incutiunt, quanta eos formidine perterrere sit necesse, qui eisdem clara voce proferendis, arctissima se religione palam obstringent? postremo, si jurisjurandi religio tam sancta apud omnes gentes semper est habita, vix ut quisquam contra illud iturus existimaretur, id ab iis violatum iri suspicemur, quorum omnia dicta & facta, in exemplum fidei ac religionis, ab omnibus suspiciantur? quod nemo, nisi barbarus, nisi ferus, nisi inhumanus, commisisset, ut pejeraret, in eo viros principes, humanissimos, sapientissimos religiosissimosque, turpiter lapsuros, existimabimus? si non est credibilis, tantus in homine scelerato ac perdito furor, is verisimilis putabitur in tot tantisque, tamque præclaris, Ecclesiæ luminibus? Quamobrem sic existimo, magis quia oporteat, quam quod necesse sit, id mihi à vobis dicendi munus esse mandatum. Atque, ut imperiis vestris quamprimum occurratur, ea forma in medium prodeat, in qua princeps Apostolorum Petrus, cui hodie successor expetitur, animarum pastores voluit esse inclusos. nam, cum dicit, *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes, non coacte, sed spontaneè, non turpis lucri causa, sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis, ex animo*, tria complecti videtur, quibus perfecta Pontificii muneris functio contineatur; nimirum, vigilantiam primum, tum liberalitatem, postremo mansuetudinem. Atque ad diligentiam quod attinet, nihil tam cavendum est Ecclesiæ universæ, quam, ne desides, indiligentes, otio magis quam labori indulgentes, ejus gubernaculis admoveantur. si pacem cum hoste haberemus, si nullis iniquissimorum hominum insidiis expeteremur, si placido tranquilloque mari veheremur, non tam esset de ducis, de gubernatoris arte ac vigilantia, laborandum: inertes, inermes, ac dormientes prope ipsi, recte eidem præficerentur. sed non est ita; hostes, sævissimi ac violentissimi, cervicibus nostris impendent, formidabiles adversus nos acies habent instructas; commoto ac concitato ferimur mari, sævis jactamur fluctibus, adversis agimur ventis; clamat Ecclesiasti-

ca jurisdictio atque libertas, undique prædones adesse; queritur, se ab omnibus diripi, dilacerari, divelli, quæ olim, in omnibus populis atque nationibus, ubi Christi nomen in honore erat ac gloria, à cunctis excipiebatur, fovebatur, colebatur, nunc fere ab omnibus neglectam, repudiatam, ejectam, vix apud paucos locum reperire ubi consistat. supplicat, tendit ad vos manus, Petri navicula, quæ, turbato mari, rapitur vento, fluctibus agitur, procellis pene summergitur. quamobrem, qui se postulet eidem præfici, ut securus, & ab omni cura semotus, labores effugiat, otium sectetur, ut in hortis ac suburbanis quiescat suis, ubi vivat, ubi se oblectet, ubi recubans molliter ac delicate, ad omnem animi remissionem ludumque descendat; hic simul etiam postulat, eandem, quantum in se est, perdere, & crudelissimis latronibus inquinatissimisque hostibus vexandam, diripiendam mergendamque, si fieri possit, objicere. nam, qui gubernator, in summa tempestate summisque periculis, somno consopitus jaceat in puppi, quid aliud agat, nisi navem evertat, & in scopulos ac saxa compellat? atque eo etiam perniciosius ab illo erratur, quod istius somnus nullas novas tempestates commovet, sed tantum, coortas, à navi non submovet neque declinat; at illo altero, altiori somno oppresso, non solum acrius, obortæ desæviunt, sed vehementiores etiam procellæ nascuntur, densiores tenebræ diffunduntur, quidquid humanæ ac diabolicæ fraudis ubique locorum ebullit ac fervet, totum in Petri naviculæ contumeliam & damnum erumpit. quid ea tempestas, quæ Christo dormiente excitata, navim, qua vehebatur, prope subvertit, nisi ad vivum expressit, quantum Ecclesiæ mali ex Episcoporum desidia somnoque nascatur? nempe, parum visum erat Christo, tantam rem verbis nobis in aures infundere, nisi in oculis etiam plane defigeret. omnino horribilis incredibilisque vigilantia in rectore omnium ecclesiarum & gubernatore requiritur; sed non minor etiam benignitas liberalitasque deposcitur. quamobrem, Spiritus sanctus, de Episcopo sermonem habens, cum patris ac pastoris eum nomine appellasset, quorum partes sunt, ad utilitatem salutemque ovium ac filiorum, bona vitamque profundere, tanquam

sibi

sibi ipse minus satisfecisset, largioris profusiorisque rei vocabulo usus est, atque Pontificem cum cælo, populos autem, sibi subjectos, cum terræ solo, in comparatione conjunxit; cum inquit: *Audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei.* non potuit aptiori similitudine, in hoc genere, Pontificum virtutes, ac vitia, tanquam penicillo describere. nam, quid cælo largius, si, ad hilarandas terras, rores & pluvias large demittat? quid eodem parcius, si utranque rem contrahat atque concludat? ita etiam nihil est Pontifice liberali benignius, nihil avaro tenacius, atque hominum generi perniciosius. nam qui minus ille pauperes exitio ac vastitate conficiat, si nullam, avidis atque sitientibus, rerum Ecclesiasticarum guttam aspergat, quam cælum terras agrosque devastet, si, undique solis splendore constructo atque recondito, nulla eas luce collustret, nullo calore aperiat, si contractis aquis, nullo eos rore reficiat, nullo humore perfundat, nullis imbribus augeat? qui minus ille ceterorum in pauperes benignitatem exhauriat, atque, ut ita dicam, exsiccet, si suam ipse præripiat ac deneget, quam cælum liquores omnium imminuat ac perimat, si suas ipsum aquas nimis avare contineat? satis, & plusquam utile fuit Rebuspub. docuit experientia, verum illud esse, quod dicitur, nulla in re perniciosius, quam in hac una, peccari. quid pauper ex privatorum facultatibus hauriet, si omnem fere superiorum in se benignitatem clausam aspiciat? abstinebunt, credo, fortunis aliorum, nihil de sacro vel de publico auferent, nihil, pecuniæ studio, tenebuntur, qui eos viderint, quos non dominos, sed distributores bonorum Ecclesiasticorum, fidelibus populis Deus attribuit, patrimonium pauperum avare diripere, domum suam auferre, in se suosque transfundere, nullisque pecuniarum acervis, cupiditatis profundum explere? nihil minus; sed ipsos etiam magistros suos rapacitate avaritiaque superare studebunt. ut, non ineleganter quidam ex veteribus, avarorum Principum magistratus, sectatores & comites, spongiis esse similes, dixerit, qui, quovis admoverentur, quovis accederent, quidquid ibi pecuniæ ac divitiarum nacti essent, tanquam humorem aliquem, statim exsugerent. quod quidem etsi multum simile fit,

non tamen omni ex parte rem explicat. nam reliquæ spongiæ, humore refertæ, nihil amplius inhiant, nihil insuper attrahunt; istorum autem avaritiæ sitis, nullis quæstibus satiatur, nullis rapinis expletur. at, si quis tantam ipsorum cupiditatem gravi aliquo dicto diverberet, eodem plane confugiunt, quo ii, qui insitam cœco nato fidem Christi, conabatur evellere; nempe ad superiorum exemplum. *Num quis*, inquiunt, *ex principibus credit in eum?* hoc est, num ii, qui principem in Ecclesia locum tenent, muneribus minus capiuntur? num minus ipsorum cognatos & affines, pauperum sanguine saginatos impinguant, & ad nova semper lucra facienda, inexhaustam eorum sitim pervellunt? ac plane vera loquuntur. fit enim, quemadmodum inquit Gregorius, ut trahant greges in præceps, dum pastores per abrupta nituntur. Postremum, quod à pastoribus quæritur, morum videlicet, lenitas atque suavitas, ejusmodi est, ut totum à superiori dependeat. Etenim non potest mansuetudo & lenitas deesse, ubi beneficentia & liberalitas insit. ex contrario, non potest crudelitas acerbitasque non desævire, ubi pecuniæ cupiditas dominetur ac vigeat. quamobrem, qui pastorem nacti sunt, magis se ipsum pascentem quam gregem, habebunt etiam perpetuo imminentem cervicibus suis crudelissimum dominum, nihil dissimulantem, omnia animadvertentem, ex levissimis cujusque peccatis novas causas pecuniæ quærentem. neque quidquam gravius apud Ezechielem Deus cum pastoribus animarum expostulat, quam, quod cum austeritate imperium in suos exerceant. quod si Africanus affirmabat, nihil tam imperatori, cui lictores præibant, cui fasces & secures præferebantur, quam clementiam convenire; quis eam audeat à Pontifice separare, qui, non Regis, non Imperatoris nomine, nobis præest, sed patris, sed pastoris, sed servi, appellatione præficitur? exigit interdum pœnas pater à filio, sed non alias magis, se esse patrem, sentit, quam cum castigatoris partes exsequitur; ac multo plus ipse animo torquetur, quam ille scapulis doleat; atque illud ipsum flagellum, quo eum percussit, in ignem conjicit, quo ignis incendium, inustum caritatis ardori vulnus sanet ac deleat. Quæ cum ita sint, omissis ceteris vo-

tis,

tis, id unum dies noctesque nuncupemus, ut, omnibus iis laudibus, quas diximus, cumulatus, nobis Christi vicarius obtingat; Christi ejusdem exemplo edocti, qui mortis suæ tempore, omissa ceterorum discipulorum cura, pro Petro tantum preces effudit, cum palam, omnibus Apostolis audientibus, dixit, *Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; sed ego, Petre, oravi pro te.* quid? nonne alii etiam discipuli, Dæmonis insidiis expetebantur? cur ceterorum, ut ita dicam, oblitus, pro Petro orandum sibi esse duxit? nempe, quia intelligebat, Petro à ratione officii non discedente, reliquorum ad Deum reversionem non difficilem fore. ita etiam, si vigilantem, si benignum, si mitem Episcopum, in Petri cathedram sedentem conspiciemus, tanquam à desidia, avaritia, superbiaque digredientes, ad contrarias iis vitiis virtutes, ipso duce, veniemus.

ORATIO XXI.

TYRRHENO
V. C.
ERYTHRÆVS
S. P. D.

QVam vellem, Tyrrhene Clarissime, nudius tertius, hoc est Dominica Palmarum, in sacello nostræ Sodalitatis adfuisses! nunquam enim vidisti, ac fortasse nec videbis quidem, tantam hominum gravitatem, doctrinam, atque sapientiam, unum in locum congregatam. nam ibi aderat flos delibatus totius Societatis Iesu, nempe Patres ad centum, canitie venerandi, quorum bini, à singulis orbis terræ provinciis electi, Romam venerant, ad comitia Præpositi generalis, atque ad res, ejusdem Societatis, gra-

ves, arduas, atque egentes consilii, consultandas, deliberandasque. causa, ad nos veniendi, hæc fuit, ut sacellum nostrum inviserent, ac simul omnes, aliqua unius ex nostris voce, singulas Sodalitii nostri leges consuetudinesque perciperent. traditæ sunt mihi hæ partes; quas, ut ego non dicam tu potes existimare, quam gravate susceperim, quod viderem, me apud eos verba esse facturum, quorum singuli cuivis docto ac diserto oratori timorem facere possent. eas tamen, ut potui, hac oratione persolvi; nec plane infeliciter, præsertim ad memoriam quod attinet, quæ custos est reliquarum ingenii partium, quæque in senibus nulla esse propemodum solet. nam ea me, si tot clarissimorum virorum splendore perstrictum effugisset, nemo erat, qui posset subvenire; itaque necessario, mihi erat hærendum. sed, Deo juvante, constitit. mitto orationem ad te, ut, quod tuo commodo fiat, legas, ac si non indignam judices, quæ ceteris, quæ sunt imprimendæ, addatur, ad Nihusium pervenire, ubi sese occasio dederit, cures. Vale. Romæ, VI *Kal. Aprilis* CIↃ IↃC XLVI.

ORA-

AD PATRES CONGREGATIONIS GENERALIS SOCIETATIS IESV,

quum Sacellum Sodalitatis Deiparæ Virginis Aſſumtæ, Romæ in Domo profeſſa Soc. Ieſu, beneficii gratiæque cauſa, humaniſſime inviſerent.

QVantum humaniſſimus optatiſſimuſque hic veſter adventus, Patres religioſiſſimi, ſecum afferat dignitatis, ſplendoris, atque adeo majeſtatis, ſi pluribus verbis coner exponere, non minus inanem operam ſumere, nec minus deſipere videar, quam qui probare contendat, ſolem, ut eſt in proverbio, meridie lucere. quis enim, cum videat, totius Societatis Ieſu, conſilii, autoritatis, prudentiæque lumen, ex omnibus, quantumvis remotiſſimis orbis terræ regionibus collectum, hoc in loco, ſole clarius, enitere, tanquam ſi ſuis ipſe oculis fidem non habeat, longa atque copioſa cujuſpiam oratione id ſibi per aures infundi in animum poſtulet? hoc igitur ſupervacaneo laudationis officio prætermiſſo; primum, omnium noſtrum nomine vobis gratias agam, quod hodie tantam ſapientiæ magnitudinem, tantam vim ſplendoris ac luminis, intra anguſtos hujus Sacelli fines, dignati ſitis, honoris noſtri gratia, compellere atque concludere. quod beneficium tantum eſt, ut parietes iſti atque ſubſellia præ gaudio exultare, ac vobis gratias agere velle videantur. verum, quia modeſtia veſtra, quæ præſtantis, liberalis, egregii, ac regalis, comes eſt animi, niſi parce admodum ac tenuiter, gratiarum actionibus nos vobiſcum uti, non ſinit; ne in aliquam ejus offenſio-

nem incurram, satis erit, simpliciter ac verbo fateri, maximis, immensis, atque immortalibus, nos beneficiis vobis devinctos teneri, easque pro iis gratias habere, quas nulla dicendo assequi possit oratio. Atque ad illud alterum transibo, in eoque paululum commorabor, cujus præsertim gratia hic hodie sum excitatus orator, ut vos breviter totius instituti nostri rationem edoceam. cujus instituti, in pauca ut conferam, summa hæc est, ut capitali inter se odio dissidentes, ad pacis ac mutui inter se amoris studia revocare conemur. Etenim, cum ceteræ, quæ sunt in Vrbe, Sodalitates, alia aliud sibi opus elegisset, in quo elaboraret; illa, ut peregrinos, sub divo pernoctantes, tecto reciperet, ac liberaliter omnibus in rebus haberet; illa, ut fortunæ naufragio ad terminos egestatis ejectos, suum in sinum, tanquam in portum, colligeret, foveret, aleret, educaret; illa, ut in summa rerum omnium inopia, vario morborum genere conflictantibus, amplo in nosocomio, nihil, ad valetudinem amissam recuperandam, deesse pateretur; illa, ut eos, qui in tanta paupertate decessissent, ut nihil, quo efferrentur, reliquissent, sepultura afficiendos curaret; illa, ut virgines indotatas, quo honeste collocari possent, pecunia juvaret: nostra hæc id sibi sumsit, ut pacem inter inimicos conciliaret. quo munere, amplissimis viris, summoque genere natis, quibus magna ex parte honestissimus hic numerus constat, nullum est dignius, nullum in quo eorum opera, majori esse usui possit; propterea quod, in dirimendis controversiis, multa sæpe incidant, quæ summorum virorum autoritate indigeant, & interdum etiam, si sit opus, imperio. neque sine divino consilio factum existimo, ut ab hinc annis ferme quinquaginta, hoc ipso die, de hoc eodem opere primo coiremus, quo die princeps pacis, triumphanti similis, Hierosolymarum est urbem ingressus, ut nos cum Deo, à quo disjuncti eramus, pace conjungeret, ut etiam hujus diei memoriam, sicut & Deiparæ Virginis Assumtæ, & Sanctorum omnium, diem festum, spiritualibus muneribus Deo offerendis, pie religioseque prosequamur. Quid verbis opus est? adeo hæc nostra Sodalitas alacrem ac promtum ad id opus animum attulit, ut non solum inimicitias, si quæ essent

essent ortæ, componeret, verum etiam summam daret operam, ut inimicitiarum causæ, quoad ejus fieri posset, è medio tollerentur. etenim, quo nam alio anni tempore, plures in Vrbe cædes fiebant, plures rixæ committebantur, plura inimicitiarum semina, tum inferendis tum propulsandis injuriis, proseminabantur, quam festis Bacchanalibus? quibus diebus, inveterata quadam, ac prope concessa licentia, nullam fere quisquam legem tenere se putat, continentiæ, frugalitatis, modestiæ; tot illa malis occurri posse existimavit, si augustissimo, hujus vestræ Domus in templo, pacis autorem ac Deum, Christum Dominum, regali propemodum cultu ac magnificentia, ut videre potuistis, populo ad spectandum colendumque proponeret, quo ea pulcritudine ac majestate illectum, à flagitiosis illum voluptatibus avocaret. nec spes illam sua fefellit. nam, tota fere civitas cernitur, ex suis domibus in id templum effusa, religiosi illius spectaculi amœnitatem improbis ludorum celebritatibus, graves summorum concionatorum de rebus sacris sermones impuris mimorum lascivientium dictis jocisque, suavissimos vocum præstantissimarum, Deo psallentium, cantus inconditis hac illac bacchantium clamoribus, anteponere; &, si qui sunt adhuc, qui inanium illarum voluptatum studio teneantur, non immoderate & intemperanter, ut olim, sed aliqua iis ratione modoque utantur, neque adeo proclive ad aliquod scelus crimenque labuntur. neque id non intellexit Paulus V, qui hoc potissimum nomine Sodalibus nostris gratias egit, quod, ipsorum præsertim opera, illis, tam infestis bonis moribus ac legibus, diebus, minus multa delicta committerentur, minus multa reorum nomina apud magistratus descripta invenirentur; denique, quod tota Vrbe pax atque otium agitaretur. neque ille, quoad vixit, annum unum intermisit, quin ad id templum accederet, & ad aram ejus maximam, incruentum Missæ sacrificium faceret. ad cujus exemplum, Innocentius X, ex quo tempore factus est Pontifex, quotannis, celebris ejus pompæ splendorem, præsentiæ suæ luce condecoravit; idem sentiens, quod ille, magnam id opus esse contra perditos mores disciplinam. Quid multis moror? egregium opus, pulcherrimam provinciam, clarissimus

hic

hic nobilium virorum cœtus ſibi delegit; pulcherrimam, inquam, provinciam, non cuivis generi hominum aptam, ſed iis tantum dignam, quos regius vates, ad eam capeſſendam, his vocibus advocat, *Suſcipiant montes pacem populo.* pacificatoris, inquit, partes, ſuſcipiant montes; montes, hoc eſt, ii, qui, ut Auguſtinus interpretatur, altiorem ceteris, ſanctitatis locum obtineant; montes, hoc eſt ii, quorum virtus, cum uſitatis atque vulgaribus hominum probitatibus comparata, montis inſtar habere inter minutos colles videatur. Neque id eos fugit, qui Sodalitatem hanc legibus temperarunt. ii enim, tribus præſertim rebus hanc montium altitudinem excitari in nobis poſſe, ſunt arbitrati; primum, orandi aſſiduitate ſtudioque, quo mens fertur in cælum; ideo jubemur, huic exercitationi partem aliquam diei, matutini in primis temporis, dare, & quoties in hunc locum convenimus, horæ quadrantem in attenta ſacri cujuſpiam myſterii meditatione conſumere. deinde, inchoatæ hujus molis opus ad ſummum poſſe perduci putarunt, mutuis ac familiaribus inter nos, de Regno Dei ac de divinis rebus, colloquiis atque ſermonibus, quos noſtri Collationes appellant. quamobrem, Dominicis præſertim diebus, cum fere omnes antea, nulla ad id lege coacti, Euchariſtiæ Sacramento ſe refeciſſent, hoc in loco, ſpirituale quaſi convivium, de Symbolis exornatur atque inſtruitur; in quo à multis, tanquam à convivis, collecta exigitur, ut, quod ipſis divinitus in mentem venerit, in commune conferant, ut ex eo alii etiam alantur & creſcant; cui Pater, Sodalitatis moderator, non nihil de ſuo, quaſi condimentum aliquod, addit, quo illud in ventrem animæ gratius ſuaviuſque deſcendat. atqui hoc vim tantam habet, ad tollendum animum altius, ut plerunque, non ibi eſſe ubi ſimus, ſed in cælo ad illam menſam videamur accumbere, ubi divinus convivator, cibi & convivatoris & adminiſtratoris partes exſequitur. Et ſane quid habetis, ô Cælites, cur vos nobis eſſe anteponendos dicam? idem eſt convivium, eadem cœna, eadem menſa, idem convivator, idem panis, panis nimirum Angelorum, eadem opipara ac delicata obſonia, nempe, de divinis rebus colloquia. unum eſt, in quo nos à vobis vinci fateamur ne-

ceſſe

cesse est; quod id vobis bonum perpetuum est, nullaque corporis curandi necessitate interruptum, at nos, cum maxime ea cælesti sagina recreamur atque reficimur, tum ab eadem, corporis necessitate cogente, depellimur. quod cum fit, nescio alios, equidem non dubitabo de me fateri quod sentio; nam, cum hinc pedem effero, ita à rerum mortalium solicitudinibus curisque invador, arripior, implicor, alligor, ut ad eandem animæ siccitatem inanitatemque, qua antea laborabam, devolvi me sentiam. Omnino, Sodales præstantissimi, ita sese res habet; dum sumus in hac vita, adverso ferimur flumine, parvo vetustoque navigio, ubi, si paululum remiges inhibuerunt, statim retro, præcipiti lapsu, revolvamur; omnino turbulento infestoque vehimur mari, ubi, si paululum secunda Spiritus sancti aura consederit, continuo adversæ tempestates cooriantur, quæ nos, hac illac agitatos, cursum tenere non sinant. Sed redeat, unde aberravit, oratio. postremo, hæc montium forma, in quam regius David Angelos pacis includit, omnino exprimetur in nobis, si montium apicem Christum intra pectoris nostri claustra conclusum habuerimus, si nullum eidem, ad exeundum, aditum aperuerimus. & quoniam, duabus potissimum de causis, contingat, eum à nobis fuga sese proripere, aut elatione animi atque superbia, quia apud humiles corde divertit cum eisque sese oblectat, aut litium clamore ac pugna, quoniam in pace est locus ejus; qui nobis leges scripserunt, ad cohibendos comprimendosque superbientis seque supra se efferentis animi fastus, octavo quoque nos die ad valetudinaria, quantum potest, impellunt, ut ibi ægrotantium cubilia, circumeuntibus nobis, communis naturæ conditio oculis subjiciatur; quæ nihil habet, unde animos efferat, sed multa continet, quibus eos abjiciat atque prosternat. Ad sedandas vero litium contentiones ac pugnas, quas plerunque caro, quæ concupiscit adversus spiritum, commovet, verberationes corporis induxerunt in mores, atque, Adventus & Quadragesimæ præsertim temporibus, solemnes quasdam verberationes habent indictas, quibus, hoc in loco, qui velint, in sese, ratione tamen modoque, desæviant. quas verberationes, ad revocandos animos, in

varias sæpe cogitationes & studia dilapsos, antecedunt musici vocum concentus, ac vehementes & pietatis ardore incensæ cohortationes. Atque totum hoc exercitationum nostrarum quasi curriculum, septem præcipuis Vrbis ecclesiis, infra Octavam Paschatis Christi resurrectionis à nobis obeundis, conficitur, tanta Romanæ nobilitatis & summorum aulæ Antistitum, in quibus, purpuratorum aliquot Patrum splendor elucet, frequentia, ut civitas universa eo spectaculo, ad maximam tantæ pietatis admirationem efferatur. atque tantam ea res habet dignitatem ac decus, ut multi extra nostrum numerum, quantumvis splendidissimo genere orti, maximi beneficii gratiæque loco deposcant, in nostrum comitatum recipi. deinde, ad declarandam animorum conjunctionem tunc omnes eadem mensa ciboque utuntur. Postremo, itinere illo peracto, summa totius populi approbatione, ab æde D. Mariæ Majoris, omnes pedibus ad templum nominis Iesu se conferunt, ubi Deo gratiis solemniter actis, unusquisque domum suam, plenus cælestis solatii, se recipit. Hæ sunt, Patres religiosissimi, leges, quibus hæc nostra Sodalitas continetur. neque quidquam est dignius, in quo omnes nervos ætatis industriæque contendamus, quam, ut iis quam diligentissime obtemperemus, quo nos, qui in hac luce orbis terrarum vivimus, ceteris, in vestris domibus, Sodalitatibus specimen, unde exemplum sibi expetant, simus; quod spes est vestris precibus nobis posse contingere. Interea tanto à vobis beneficio exornati, nihil à nobis, tam, grati ac memoris animi debitum videtur exigere, quam ut Deum enixe rogemus, ut vos, egregie transactis vestris partibus, eum Societati vestræ Præpositum ac moderatorem præficiendo, quo nihil possit esse perfectius, vestras in sedes, sospites incolumesque perducat, quo suum singulis, ab exoriente sole ad occidentem, provinciis ornamentum ac lumen, quo fuerant spoliatæ, reddatur.

ORATIO XXII IANI NICII ERYTHRÆI CIVIS ROMANI, ET COMMISSARII AQVÆ MARANÆ, AD S. P. Q. R.

NVnquam putassem, P. C. futurum, ut de ea re, quæ nunc adeo me solicitum habet, ad vos supplex accederem. Ecquando mihi venisset in mentem, posse illud tempus adesse, quo, de re mea, in dubium venirem, quo id, quod mea pecunia, quod jure ac legibus, publicis monumentis, à me emtum esse, constaret, quod, tot annos sine controversia possedissem, ademtum mihi, lugerem? Verum id, utpote à similitudine veri alienum, abfuit à cogitatione mea longissime; cumque id, primum, est mihi nuncium allatum, non minus novum & improvisum accidit, non minus admirationem & stuporem incussit, quam, si novum & horrendum aliquod monstrum atque prodigium extemplo meis sese oculis objecisset. Ac nunc fortasse, quamvis graviter læsus, quamvis dolore omnium fere maximo affectus, quievissem, precibus, querelis ac lamentationibus abstinuissem, si tantum, ex ceteris bonis, provenire mihi posse, perciperem, ut ex eo suppeditare quotidianis meis ac frugalissimis sumtibus possem. sed egestas cogit, me querimoniis vobiscum ac precibus uti; necessitas, unde (nisi quid sit

sit à vobis præsidii)pene mihi ad saccum res rediit,impellit, me vobis esse odio atque molestiæ. Iam ferme biennium abiit, postquam ii mihi fructus, quos ex officio Aquæ Maranæ, mea pecunia coëmto, capiebam, quibusque me ac familiam meam sustentabam, intercipiuntur, vel saltem eorum, ne pervenire ad me valeant, cursus inhibetur. quæ tanta, tamque insignis in me calamitas, alienissimo plane tempore, irruit; ætate nimirum exacta atque decrepita, quam jampridem vires deseruerunt, quibus, labore, industria, studioque, mihi comparare, quæ sint ad vitæ usum necessaria, queam. Rem miseram; quæ ætas, ob ejus imbecillitatem, tractari mollius ac delicatius postulat, ea aspere, acerbe, ac duriter est habenda; quæ ætas, quia est ad occasum jam ferme deducta, digna est favore ac misericordia, ea habetur idonea, cui præcipua lex injuriæ definiatur. At videte, P. C. quam præter opinionem meam, hæc, in meum caput, mali moles irruerit. O inanes hominum cogitationes! ô fallaces eorum spes! tum, tum, inquam, id me malum oppressit, cum spes non minima ceperat, fore, ut,ob mea in Remp. Romanam merita, insigni aliquo beneficio publice à vobis ornatus cumulatusque discederem, quod videlicet, homo Romanus, libris jam pluribus editis, aliisque mox edendis, Latini sermonis laudem, in quam alii, tanquam in possessionem caducam & vacuam, invaserant, vobis sim vindicare conatus, & majorum suorum regno collocare. quis enim non loquebatur, quis affirmare dubitabat, populum Rom. omnium gentium victorem, una cum majestate imperii, loquendi scribendique Latine, usum & facultatem amisisse? quos conatus à me, pro mea virili parte susceptos, in irritum non recidisse, nationum exterarum testimonio posse comprobari videtur. nam, quod illæ mea scripta expetant, legant, quod in suis urbibus, elegantissimis typis, imprimenda curent, quod quædam earum, immodicis me, quas respuo nec agnosco, laudibus onerent, quod, speciosissimis titulis, quos referre pudet, afficiant, quid habet ea res argumenti, nisi eos fateri, Latini sermonis puritatem, nitorem, elegantiamque, etiam nunc à nobis coli, nobiscum versari, nec, ut multorum erat opinio, ad alias regiones

transisse,


tranſiſſe, & exilium patria ſede commutaſſe? Iuvat magnifice loqui; & certe decet, adverſus eos, quos ſcire, quis ſit cuique honos habendus, quid cuique, ſuis pro meritis, tribuendum. quid ſi gentes; à nobis remotiſſimæ, quarum judicium grave videri debeat, præmia, quemadmodum ego, falſa opinione ductus, mihi fingebam, hic Romæ, virtutis gratia, ſcribant, fuiſſe decreta? Redditæ mihi ſunt nuper, ab Vbiis, à Batavis, literæ, quibus doctiſſimi eruditiſſimique viri, neſcio quem honorem, tanquam bene de Rep. merito, mihi fuiſſe delatum, gratulantur. homines videlicet candidiſſimi æquiſſimique, qui ſuo ex ingenio alios æſtimant, qui unamquamque rem ponderibus ſuis, ut eſt dignum, examinant, perinde hic, ut apud ipſos, literis honorem haberi arbitrantur. ſed errant, conjectura domeſtica. quid igitur illis reſpondendum cenſeam, niſi, vos nihil horum credere, niſi, id quod eſt veriſſimum, adeo nullis me eſſe auctum opibus atque divitiis, ut etiam, fortunæ injuria, iis depulſus ſim bonis, quæ Dei ac majorum meorum virtute mihi contigerant? Sed ego me continebo, neque hac reſponſione, quamvis aptiſſima, utar; ne quis inde eorum, aliquam vos accuſandi anſam arripiat, dicatque; O patriam, civibus ſuis non æquam! male merenti, bona eſt; bene merenti, mala: nos illum, alienum, expetimus, diligimus, colimus; illa, natura ac legibus ſuum, non curat, negligit, in hominum numero fere non habet: nos illum, ſi hic eſſet, autoritate, re, opera, juvaremus, qui nulli nobis uſui, nulli commodo eſt; illa, egere eum patitur, qui non ceſſat, omni opera, ſtudio, ac diligentia, eam populo Rom. gloriam, quam alii ad ſe tranſlatam eſſe gloriantur, aſſerere. Sed magna mihi, in veſtra humanitate æquitateque, ſita ſpes eſt; nempe, hanc vos illi orationem erepturos eſſe, ac meis ſimul neceſſitatibus, de meo, opem auxiliumque allaturos. quæ ſpes ſi decollaverit, patiar, feram, ut potero; atque honeſtius eſſe putabo; mea me in patria pauperem mori, quam in alia divitem vivere. Sed mihi videntur ii, quibus hæc eſt tradita provincia ut, re cognita, ſuum unicuique reddatur, prolatando, ac diem ex die ducendo, aliquam innocen-

tissimo Principi, sanctissimoque Pontifici, invidiam, si fieri possit, velle conflare, cui, orbis terræ procuratione districto, nihil ferme vacui temporis, ad hæc minora cognoscenda, relinquitur. audebit enim fortasse quispiam, qui ne suspicione quidem assequi potest, quanto negotiorum pondere prematur is, cui immensa atque incredibilis summi imperii moles incumbit, aliquam illi hujus cunctationis culpam inferre, eumque existimare, ne flocci quidem facere, quid de se homines loquantur ac credant. at, si cuipiam id veniat in mentem, quanto eum in errore versari continget! nihil enim tam ille vult, quam bene audire; nihil tam ille cupit, quam à suis civibus amari ac diligi. Verum, sæviat fortuna, quantum velit; nulla potest calamitas intervenire tanta, quæ quidquam illi de ea civium caritate ac benevolentia detrahat, qua magis quam armorum quorumvis præsidio munitur ac tegitur. quis enim, plusquam seipsum, non eum Pontificem diligat, quis eum non in oculis ferat, quem, non patria solum caritas, qua Christianos, ut par est, omnes amplectitur, sed civitatis ejusdem, nobis cum illo communis, societas, necessitudoque conjungat? deinde perfertur ad nos, eos, qui meum, ne ad me commeare possit, impediunt, eximios aliquot ex iis habere, qui eodem, quo ego, calamitatis jure comprehenduntur, (non enim ego solus, in hoc infortunio hæreo, sed multi præterea alii,) perficereque, ut ne nummum quidem unum desiderent ex suorum officiorum fructibus; ex quo numero sunt ii, qui gratia, opibus, ac divitiis, ceteris præstant; quibus etiam si totum illud, quod mecum postulant, detraheretur, incommodi nihil illis accederet, ac perinde esset, ac si rivulus aliquis, ne in mare influeret, averteretur. quæ res quam rationem habeat, non video. aut enim idem omnibus statuendum jus est, aut nemo excipiendus; aut, si mitius cum aliquibus sit agendum, quis est qui non iis subveniendum esse censeat, quibus præterea nihil, quo se tueantur, suppeditat? Quamobrem, P. C. à vobis demisse ac suppliciter peto, ut me, patrocinio vestro munitum, salvum & incolumem esse velitis, neque patiamini, civem vestrum, qui bene de

nomine

nomine populi Rom. mereri ſtuduit, extremo vitæ ſuæ tempore, inopem, egenum, ad alterius miſericordiam confugere, ſed totum id, quod, ad hanc uſque diem, ex officii mei fructibus me capere oportuit, mihi ſolvendum curetis, quo æs alienum, quod ex hac mora contraxi, diſſolvam.

FINIS.



Illustrissimo Reverendissimoque

DOMINO

STEPHANO VAIO,

EPISCOPO

CYRENENSI,

& Archihospitalis S. Spiritus in Saxia, quod Romæ est, Præceptori,

S. P. D.

BARTOLDVS NIHVSIVS.



Vantopere veneratus te, Præsul inclyte, fuerit Ianus Nicius Erythræus, vel è dedicatoria, volumini huic præmissa, perspicitur. Sed antea morte est interceptus vir optimus & eloquentissimus, quam in lucem opus istuc exiisset. Itaque, quod exhibere non potest ipsemet, id à me tibi nunc, ea qua par est reverentia, exhibitum itur. Quam ob rem vero ab homuncione me, transalpino, longe absente, incognitissimo? Quia, & conciliatore quidem FABIO CHISIO, *Neritonensium Episcopo, Sedisque Apostolicæ Nuncio, viro per Europam universam laudatissimo illo, ita me dilexit Nicius tuus, ut non potuerim, quin, grati animi ostendendi ergo, magnam partem lucubrationum ejus,*

perquam

perquam nobilium, ederem; editurus nec minus lubens deinceps, quæ fuerint reliqua: immo, id simul effecit amore mei tanto, ut, quos ipse, dum viveret, suspexit, eosdem & ego suspiciam in universum omnes omni merito, præsertim vero te tuique similes, ita maximis in Dei Ecclesia præcellentes virtutibus. Nec ingratum tibi id fore confido. Vereor quidem, ne videatur Orationum Nicianarum produci à me numerus multum exiguus: at, non suppetebant plures; non ea quam ad Paulum V *habuit autor in Sacello Pontificio feriâ quartâ Cinerum; non Gregorii Magni laudationes octo, in Humoristarum Academia recitatæ, quæ perhibentur eminere miris modis; non ceteræ, ex uberrimi fonte ingenii profectæ innumeræ, ac, nescio quibus, abditæ latibulis hactenus. adeoque, dum earum spe lactatus hæsi, factum inde est unice, ut editionem hanc tam diu distulerim. Vtinam vero sarciri defectus iste queat. Quicquid ejus futurum sit; meo in te studio observantiæque summæ ut favere digneris, etiam atque etiam obsecro. Vale, Antistitum optime, patrone plurimum honorande. Kal. Januar.* CIↃ IↃC XLIX.

I N-

INDEX
ORATIONVM.

I.	*De Episcopo.*
II.	*Ad Academicos Parthenios.*
III.	*De laudibus Geometriæ.*
IV.	*Ad Advocatos Consistoriales.*
V.	*De Spiritu sancto.*
VI.	*De Christi Domini Ascensu.*
VII.	*De Peccato.*
VIII.	*De Rhetorica discenda.*
IX.	*De Christi Matre Assumta.*
X.	*De diuturna ægrotatione toleranda.*
XI.	*In funere Baptistæ Guerrini.*
XII.	*Ad Card. Alexandrum Perettum.*
XIII.	*De eloquentia.*
XIV.	*In funere Card. Francisci Mariæ à Monte.*
XV.	*Laudatio Gregorii* XV.
XVI.	*In funere Comitis Iulii Cæsaris Stellæ.*
XVII.	*De Christi Domini Ascensu.*
XVIII & XIX.	*De S. Symphorosa Martyre.*
XX.	*Ad S. R. E. Cardinales, post obitum Vrbani* VIII.
XXI.	*Ad Patres Congregationis generalis Soc. Iesu.*
XXII.	*Ad S. P. Q. R.*

FINIS.